IOANNES



PONETHOWSKY

Thest
1687

DE STATV ANIMARVM IN ALTERO SECVLO:

Theologica Disputatio,

IN QVA COPIOSE DISSERITVR DE MORTE: DE EXEQVIIS: DE LOCIS, IN QVIBVS ANIMÆ CORPORIBVS EXVTÆ RECI-

piuntur, præsertim de Purgatorio: De Facultatibus & Operationibus, quas ibi animæ exercent: De Subsidiis, quibus à viuentibus subleuantur: De Cultu & Inuocatione animarum, quæ sunt in cœlo: ac demum de aliarum statu & conditione, quæ vel cruciantur in Inferno, vel aliis in locis detinentur:

IN INCLYTA ET CATHOLICA ACADEMIA INGOLSTADIENSI ANNO M. D. LXXVII. publicè habita:

PRÆSIDE

R. P. LVCA PINELLO SOCIETATIS IESV SS. Theologiæ Doctore & in eadem Academia Professore ordinario:


RESPONDENTE

DOCTISSIMO ANDREA RÖCKlero Artium liberalium ac Philosophiæ Magistro.

INGOLSTADII, *Ex Officina VVeissenhorniana*. 15 81.

OCTOSTICHON IOAN. ENGERDI IN ARMA ILLVSTRISS. DVCVM BAVARIÆ, &c.

Arma Ducum Boiæ Caroli de sanguine Magni
Aspice natorum: sacram sacer ille tiaras



Edocet esse domum: rhombis deducitur olim
Luna; sed ambrosia victu cœlestis, & albis
Religonis ali dapibus stirps alta meretur:
Religionis enim, per aperta pericula Martis,
Sponte gerunt curam fulvi de more Leones,
Relligionis honos quibus aurea vellera cordi.

PRÆFATIO.

ILLVSTRISSIMO
ATQVE SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO GVLIELMO, COMITI PALATINO RHENI, ET VTRIusque Bauariæ Duci, Principi Catholico &c. Domino suo clementissimo.

NIHIL EST IN TOTA HAC RERVM vniuersitate, Princeps Illustrissime, quod auidiùs homines nosse desiderent, quàm animæ è corpore emigrantis conditionem ac statum: Sed neque quicquam est homine dignius. Etenim cùm inter omnes animantes vni homini à DEO datum sit, vt viuat post mortem; ignaui planè fuerit & inertis, non laborare, vt sciat, quemadmodum victurus sit alibi, cùm hîc viuere desierit; contrà, liberalis & ingenui, dare operam, vt intelligat, quis qualisque futurus sit post mortem; vbi, quibus cum, quomodo vitam traducturus. Quare sicut de Historiæ ignaro aliquando dixit ille: Nescire, quid, antequàm natus sis, acciderit, id est semper esse puerum: Ita nos de nobilissimæ huius scientię experto dicere possumus: Nescire, quid de te futurũ sit, postquàm vita excesseris, est nunquam hominẽ esse. Iam verò vtilitas tanta est, quanta potest esse maxima, præsertim his turbulentissimis temporibu, quibus cœlum, infernus, beatarum mentium inuocatio & cultus, expiandarum subsidia, ac tãtùm non ipsa etiam animæ immortalitas, à nescio quibus

malè feriatis hominibus, in dubium reuocatur; vt aduersus præsens venenum, hoc præsenti semper opus sit antidoto. Taceo eam vtilitatem, de qua Sapiens: Memorare, inquit, nouissima tua, & in æternum non peccabis. His igitur aliisque similibus de caussis, cùm ea, quæ de Statu animæ separatæ à corpore, in celeberrima hac INGOLSTADIENSIVM ACADEMIA, ex publicis Theologorum prælectionibus acceperam, publicè disputanda proponere instituissem; cogitarē autem, cui potissimùm hos primos quasi Theologici mei studij fructus consecrarem; T. C. id cum primis me debere animaduerti, à cuius singulari fauore & Principe digna clementia est profectum, si quid est in me eruditionis ac scientiæ. Quod, tametsi sentio, quàm sit exiguum; insignis tamen & propè incredibilis semper fuit illa C. T. liberalitas, à qua, vt dicebam, hoc quicquid est vel sacræ vel prophanæ literaturæ dimanauit. Accipe ergo, Princeps Illustrissime, deditissimi clientis exiguum munus; si non C. T. dignum, certè debitum munificentiæ: Cui me, vt hactenus, ita deinceps commendatum esse percupio. DEVM OPT. MAX. precor, vt C. T. quàm diutissimè tueatur incolumem. INGOLSTADII, Mense Maio, Anno Domini M. D. LXXVII.

Eccl. cap. 7.

C. T.

Deditissimus cliens

Andreas Röcklerus.

CAPVT PRIMVM,

DE SEPARATIONE ANIMÆ à CORPORE, ET CHRISTIANARVM EXEQVIARVM RITIBVS.

CONCLVSIO PRIMA.

CVM DISPVTARE DE FVTVRA VITA *instituamus, à morte, quæ ad eam ipsam veluti via quædam est & aditus, eaque de caussa hîc à nobis inter nouissima numeratur, initium capere haudquaquam alienum putamus. Mortem igitur originalis peccati pœnã à* DEO *constitutam esse, non obscurè quidem literæ Diuinæ docent: Sed eius tamen rei varias caussas auctores afferre solent: Nonnulli, quòd hæc sit omnium pœnarum non solùm grauissima, vt Ecclesiasticus testatur: O mors, quàm amara est memoria tua! Sed etiam quòd ex hac omnes propè aliæ calamitates humanæ, tanquam ex radice, pullulent. Alij, quòd mortis metu, velut freno, homines in officio contineantur. Vnde est illud Sapientis: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Genef. cap. 2. Ad Rom. cap. 5. 6. & 8. Ecclef. cap. 41. Ecclef. cap. 7.

II. NOBIS *præ reliquis hæc maximè caussa probatur, quòd in ira sua misericordiæ non obliuiscitur* DEVS, *& dum iustas scelerum pœnas repetit, suus etiam apud ipsum clementiæ locus est. Itaque peccato, quod natura sua hominem à* DEO, *vnde salus eius pendebat, separat & auertit, eam potissimũ pœnam statuit, quæ esset eidem stimulus ad* DEVM *salutis suæ auctorem reuertendi: Ea mors fuit; si quidem, vt experientia teste discimus, tum demum vel maxi-* Habac. cap. 3. Psalm. 76.

mè quisq; de salute sua cogitat, & cum DEO *coniungi cupit, cùm ei mortis periculum imminet.*

III. QVÆSTIO *fuit olim, quæ Ethnicos Philosophos haud mediocriter torsit, Eccúrnam* DEVS, *qui sapienter omnia disponit, animam immortalem iunxerit corpori mortali? Cui non satis fit ab ijs, qui aliud non dicunt, quàm initio creationis corpus fuisse immortale. Nam fateor quidem, corpus* ADÆ *fuisse à* DEO *immortalitate donatum; atq; adeò totum* ADAM *ante peccatum fuisse immortalem: Testantur enim id apertè Diuinæ literæ; ac definitum est in Synodo Mileuitana. At interim dubium restat, quàm conuenienter anima rationis particeps, natura sua immortalis, coniuncta sit corpori natura caduco & mortali: Nam donum illud diuinitùs* ADÆ *collatum & mortalis eius corporis conditionem non tollebat omnino; tantùm efficiebat, ne, vt Scholæ loquuntur, potentia moriendi exiret in actum.*

In Epist. ad Rom. cap. 5. & 6.
Cano. 1.
August. lib. 13. de Ciuitate Dei, cap. 23.

IV. ERGO *dubitatio tolletur, si dicamus, non potuisse aliter fieri. Anima enim, quæ, quod ad scientias attinet, est veluti tabula quædam rasa, eiusmodi omnino corpus requirebat, cuius auxilio scientiam & cognitionem posset adipisci. Adipiscendi autem hæc vna ordinaria & communis via est, vt sensuum adminiculo species, & quasi quædam rerum imagines conquirantur. Sensibus igitur in hunc finem præditum esse oportebat corpus humanum. Rursus sensus nequeunt esse absq; tactu; tactus verò organum ex contrariis necessariò constat: Omne autem ex contrariis compactum, caducum sit necesse est. Ex quo fit manifestum, mortalitatem corporis nec à* DEO *fuisse intentam (Scriptum est enim,* DEVM *non fecisse mortem, nec delectari in perditione viuorum) nec inclinationi animæ, quæ immortalis est, consonam; sed potiùs conditionem esse necessitatem materiæ consequentem.*

D Thomas 1. 2. Quæst. 85. Articul. 6.
In Quæst. disp. de pœn. pecc. origin. Quæst. 5. Arti. 5.
Sap. cap. 1.

V. CVM ergo ADAM *per peccatum dicitur incurrisse pœnam mortis, non ita intelligendum est, quasi natura ipsius corporis tum primùm facta sit mortalis, quippe ex se semper fuit eiusmodi*

sed;

sed quia per peccatum perdidit priuilegium immortalitatis, quod, quatenus impediebat, ne naturalis illa corruptionis facultas, seu defectus potius exiret in actum, eatenus reddebat ADAM incorruptum. Hoc ergo destitutus priuilegio, relictus est naturæ suæ mortali; atque hinc dicitur incurrisse pœnam mortis.

VI. CÆTERVM quia priuilegium immortalitatis non ADÆ solùm, sed vniuerso hominum generi collatum erat; ideo, peccante ADAM, tota natura illo dono spoliata est remansitq́ in ea naturalis ille defectus mortalitatis. Quare non est, quod quisquam miretur, CHRISTVM & sanctissimam eius genitricem, qui peccato originali nequaquam obstricti fuerunt, morti tamen obnoxios extitisse. Fuit enim vtriusque mors non tam pœna peccati, quàm defectus naturæ, quæ, vt sæpe iam dictum est, etiam antequàm vel immortalitate donatus esset ADAM, vel eâdem rursus priuatus, mortalis erat, & corruptioni obnoxia. Exemplo res clarior fiet: Apostolorũ quisque natura sua mendax erat, & peccare poterat, confirmatus in gratia iam non poterat; non quia supernaturali illo dono naturalis peccandi conditio sublata sit (manserunt enim Apostoli natura, vt antè, peccato obnoxij) gratia tantùm effecti superiores; quatenus scilicet diuinum illud munus ita eorum animos confirmabat, ne vnquam in lethale peccatum prolaberentur. Quòd si, quemadmodum ADÆ donum immortalitatis, ita vni eorum hoc donum collatum fuisset, cum aliqua conditione; mox eo munimine gratiæ priuatus relinqueretur imbecillitati suæ naturæ, nec posset fieri, quin laberetur aliquando in peccatum. Pari modo dicendum est de CHRISTI atq; DEIPARÆ natura, immortalitatis munere destituta.

Psalm. 115. Ad Rom. cap. 7. 1. Ioann. cap. 1.

VII. NON quia statutum est hominibus semel mori, aut quia mors malum quoddam est & pœna, non est meritoria; sed potius contrà, vt improbis molestiam, ita iustis affert consolationem & meritum. Nam quemadmodum (vt colligitur ex D. Augustino) iniusti malè vtuntur non tantùm malis, verùm etiam bonis; ita iusti bene vtuntur non tantùm bonis, sed etiam malis: Quare mors iustis, qui ea bene vtuntur, meritoria est.

Ad Hebr. cap. 9. 13. De Ciuit. Dei cap. 6.

VIII.

Ezech. cap. 18. 33. Apocal. cap. 3. Leo. 1. Epist. 90. ad Rust. Episcop. Luc. cap. 23. Lib. 50. homil. hom. 41. & refert. de poenit. dist. 7. cap. Si quis.

VIII. IN morte posse esse veram pœnitentiam, fateor; hoc enim Latronis illius exemplum docet, qui iam iam moriturus etiam, Paradisum (si dicere licet) furatus est. Sed num anima secura decedat cum pœnitentia ad mortem vsque dilata, placet nobis D. Augustini sententia: Si quis (inquit) positus in vltima necessitate suæ ægritudinis pœnitentiam accipit & hinc vadit, fateor vobis, non negamus illi quod petit, sed non præsumimus quòd bene hinc exit. Si securus hinc exierit, ego nescio; pœnitentiam dare possumus, securitatem dare non possumus. Nunquid dico damnabitur? Sed nec dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari, age pœnitentiam, dum sanus es. Si sic agis, dico tibi quòd securus es; quia pœnitẽtiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Hæc ille. In eandem quoq; sententiam non minùs pulchrè scribit [a] D. Cyprianus [b] Hugo etiam de Sanct. Vict. Valde suspecta (inquit) debet esse pœnitentia, quæ sera venit, & coacta esse videtur. Facile est, vt homo se nolle putet, quod posse non datur. Possibilitas optimè voluntatem probat; si non facis, dum potes, manifestè ostendis, quod non vis.

a Lib. 4. Epist. 2. ad Antonianum, & refertur ibidem can. Idcirco.
b Lib. 2. de Sacr. par. 14. cap. 5.

1. ad Thess. cap. 4.

IX. VT lamentatio, vlulatus & luctus immodicus ex amicorum obitu suscepta, Christianum non decent; ita hæc eadem, si moderata sint, iure laudantur: Neq; Apostolus hæc prohibet; id tantùm mouet, ne contristemur sicut & cæteri, qui spem nõ habent. Ita etiam intelligendum est illud D. Cypriani, cùm ait: Quàm præposterum est, quamq; peruersum, vt cùm DEI voluntatem fieri postulemus, quando euocat nos DEVS & accersit de hoc mundo, non statim volũtatis eius imperio pareamus; obnitimur & reluctamur potiùs &c. Et illud Anastasij Pontificis: Nos, inquit, qui alteram vitam credimus & docemus, tristari nimiùm de obeuntibus non debemus, ne quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc magis nobis culpa sit.

Serm. 4. de Mortalit. & refert. 13. quæst. 2. capit. Quàm præpost.

In Epist. 2. ad Nerianum.

De cur. pro Mor. gerend. cap. 2. 13. quæst. 2. cap. Animæ.

X. QVID verò de pompa funebri sentiendum sit, docet optimè, vt alia, D. August. Curatio funeris, (inquit) conditio sepulturæ, pompa

pompa exequiarũ, magis viuorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla? Præclaras exequias in conspectu hominum purpurato illi diuiti turba exhibuit famulorum; sed multò clariores in conspectu DOMINI *vlceroso illi pauperi ministerium præbuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ sinum sustulerunt.*

Extr. de sepul. cap. Sacris.

Luc. cap. 16.

XI. *PIVM & sanctum est, & ab initio nascentis Ecclesiæ obseruatum, vt precibus, eleemosynis, aliisq́ bonis operibus, Sacerdotibus Psalmos & alias orationes concinentibus, fidelium funera ad sepulturam deducantur: Hanc laudabilem consuetudinem sanctissimi & antiquissimi Patres re & scriptis nobis tradiderunt. D. Dionysius Apostolorum discipulus sic scribit: Conuocato sacro choro, diuinus Antistes (his, qui excessit è vita, erat ordinis Sacerdotum) vbi ante sacrum Altare eum posuit,* DEVM *precari incipit, &c. D. Chrysost. Dic mihi, quid sibi volunt lampades istæ festiuæ? nónne sicut Athletas eos producimus? Quid etiam hymni? nónne vt* DEVM *glorificemus?* [a] *D. Gregor. Nis. Cùm igitur (inquit) nocturna peruigilatio canendis Psalmis perfecta esset, &c.* [b] *D. Hieron. Translata est Paula (inquit) Episcoporum manibus, & ceruicem feretro subijcientibus, cùm alij Pontifices lampades, alij choros psallentium ducerent, in media Ecclesiæ est posita. Huius Christianæ consuetudinis meminerunt alij sancti Patres, quorum verba, ne propositæ disputationis modum excedant, lubens prætereo.*

De Eccles. Hier. cap. 7.

Hom. 4. in Epistol. ad Hebr.

a In Epistol. ad Olymp de obitu suæ sororis.

b In Epit. Paulæ Rom.

Abdias Babyloniorum Episcopus in lib. 5. Hist. Apost.

Athan. lib. de var. quæ. q. 34. Euseb. Emisse. homil. 3. de Epiphan.

Epiph. Episc. in orat. de vera Eccles.

XII. *CHRISTIANORVM ritus humandorum corporum, pius est & laudabilis, ac consentaneus rationi: Decet enim, vt terrestria nostra corpora cõuertantur in terram. Contra, priscorum Romanorum ritum, concremandi scilicet corpora, nec laudabilem, nec absque horrore esse potuisse, credendum est: Quanquam ad animæ gloriam vel miseriam qualitas sepulturæ minimè ex se conferat; vt prudenter nos monet D. Chrysostomus: Vbicunque (inquit) sepelia-*

In Epist. ad Heb. & refert. 13. qu. 2. cap. Vbicunque.

sepeliamur, DOMINI est terra & plenitudo eius. Porrò plurimum refert, vtrùm quis in loco sacro sepeliatur nécne; tum propter suffragia, quæ eo in loco sepultis exhibentur; tum quia amici & affines orandi caussa templum illud ingressuri, aliquid semper suis defunctis spiritualis eleemosynæ impendunt. Qua in re errarunt VValdenses, qui, teste Ænea Syluio, parum referre dixerunt, quacunque terra corpora humana sepeliantur, siue sacra sit, siue profana.

In lib. de origin. Boëmerũ cap. 35.

CAPVT SECVNDVM, DE LOCIS SEV RECEPTACVLIS, IN QVIBVS ANIMÆ CORPORIBVS EXVTÆ RECIPIVNTVR

CONCLVSIO XIII.

In capit. 7.

IVRE optimo præsens hæc vita militia quædam dicta est à diuino illo Iob: Siquidem (vt innumera alia prætermittã, & hoc vnum, quod ad rẽ maximè facit, prosequar) quemadmodum in acie militibus, ita in huius vitæ cursu vniuersis nobis magna quædã vel vincendi vel succumbi, merendi vel demerendi materia offertur. Rursus quemadmodum in bello, cùm iam receptui cantatum est, victores de hostibus læti triumphant; alij de lucro & præda gaudent; plurimi accepta vulnera nõ absq; dolore curant: Ita cùm ex hac vita excessum est, sedes quasdam & quasi domicilia esse oportet, in quorum aliis, beatorum animæ, reportata ab hostibus victoria, perpetuò gaudeant ac triumphent; in aliis, victricium quidem, sed vulneratarum tamen animarum plagæ curentur; in aliis, victi non absq; dedecore & luctu degant; in aliis deniq; infantes & paruuli, qui ante pugnam occubuerunt, sicut sine lachrymis, ita absque præmio quoque vitam degant.

XIV.

XIV. QVATVOR proinde in vniuersum sunt loca, ad quæ animæ corporibus solutæ deferuntur: Cœlum Empyreum, beatarum animarum beata mansio, in qua DEI conspectu & præsentia perfruuntur: Infernus, damnatarum carcer, vbi, quæ cum sceleribus ex hac vita excesserunt, in perpetuum cruciantur: Limbus puerorum dictus, iis deputatus, qui antequàm peccati originalis maculas sacrofonte eluerent, diem suum obierunt: Postremus est Purgatorium, in quo illi degunt, qui vel veniali aliqua labe infecti vitam claudunt; vel, antequàm DEO pro peccatorum pœna plenè, vt debebant, satisfaciant, vita emigrant. Olim tamen, ante CHRISTI ascensum in cœlum, alter erat limbus, in quo sancti Patres ab omni contracta macula purgati, ac debito pœnæ soluto, felix illud tempus expectarent, quo redemptionis pretium DEO soluendum erat, & cœlum tot annorum millibus peccato clausum, denuò reserandum.

XV. NON negamus interim, quin aliis quoque in locis nonnunquam vel torqueantur animæ vel expurgentur: quādoquidem multas animas in hoc nostro aëre puniri asserit Gregorius Magnus. In lib. 4. Dialog. Verùm non inde tamen rectè inferes, plura esse, quàm numerata receptacula: Nos enim de iis duntaxat loquimur, quæ à DEO fixa & stabilia posita sunt; quòd si alibi animæ patiantur, illud vel per modum transeuntis (vt dicunt) vel ex dispensatione fieri non negamus.

XVI. SI contingeret aliquem ex hac vita decedere, originali tantùm & veniali aliquo peccato infectum, absque omni mortali; eius animam putant quidam perpetuas in inferno venialis illius delicti pœnas daturam. Sed falsò: Videtur enim repugnare iustitiæ, si eiusmodi peccato, cui natura sua temporalis tantùm pœna debebatur, statuatur æterna. Neque verò pro eiusmodi animabus, si quæ fortè essent, necesse est distinctum à cæteris assignari locum: Nam non est inconueniens dicere, pœnam illam vel in ipso limbo solutum iri, vel antequam eò perueniant.

XVII. NEQVE rursum, quia nemo est tam improbus, qui non simul multa bona operetur, idcirco quintus aliquis locus est inueniendus; vt quemadmodum electi, si quas DEO peccatorum pœnas adhuc debent, priùs eas in Purgatorio soluunt, tum liberi in cœlum euolant; ita reprobi primùm bonorum suorum operum qualecunque præmium alicubi recipiant, tum ad inferos detrudantur. Nihil inquam hoc est necesse. Primùm enim potest illos DEVS plenè remunerari in hac vita. Deinde esto nihil hîc percipiant præmij; attamen neq; post hanc vitam eis quicquam debetur: Eo ipso enim quòd in scelere moriuntur, omni iure carent laborum suorum præ-

In sua Can. cap. 2. mia recipiendi; iuxta illud Iacobi Apostoli: Qui totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Quem locum, vt hoc obiter dicamus, non intelligimus, quasi qui vnum præceptum violet, perinde puniatur, ac si omnia violâsset, aut quasi peccata iam antea condonata redeant, cùm quis iteratò in scelus prola-

Ad Rom. cap. 11. bitur: Sunt enim dona DEI sine pœnitentia, vt inquit D. Paulus.

XVIII. SED hoc modo intelligimus; quòd is, qui omnia seruauit, & multa bona præstitit, offendit autem postea in vno, fiat reus omnium, hoc est, dignus qui laborum suorum omnium præmium amittat, quos in seruanda lege exantlauit. Quemadmodum reum capitis dicere solemus eum, qui dignus est, vt caput perdat. Atque huic

In cap. 33. expositioni consonat illud Ezechielis: In quacunque die iustus fece-

Apud Ezech. etiã cap. 18. rit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur. Et alibi: Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: In præuaricatione, quia præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur. De singulis receptaculis pauca subiungamus.

XIX. IN cœlis sedem esse beatarum animarum sacra scriptura

2. Cor. cap. 5. apertè testatur. Si terrestris domus nostra (inquit Apostolus) huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex DEO habemus, domum, non manufactam, æternam in cœlis. Et CHRISTVS ascensurus in

Ioan. cap. 14. cœlum dixit: Vado parare vobis locum. Sed an cœlum Empyreum sit hæc sedes, quam dicimus, nécne, fateor non ita, clarè haberi in sacris

cris literis: Sanctorum tamen Patrum plærique asseruerunt esse, vt[a] *Clemens Rom.*[b] *Clem. Alexan.*[c] *D. Basil.*[d] *Isidorus,*[e] *Damascenus,*[f] *Philo Iudæus.*

a In Epist. 4. ad Iul. & Iul.
b Lib. 7. Strom.
c Hom. 2. Exameron.
d In Deut. cap. 9.
e Lib. 2. de Fid. Ortho. cap. 6.
f In opificio sex dierum, vbi supra.

XX. COELVM *hoc, quod à splendore tum innato, tum ab eo, qui in ipsum à beatis redundat, meritò à D. Basilio dictum est Empyreum, thronus est sanctissimæ* TRINITATIS, *ac beatarum mentium accommodata mansio; ignotum quidem priscis Astrologis ac Philosophis, Theologis tamen satis claru & perspectum. Nec mirum, si illorum sensus latuerit; quippe quod nec motu aliquo cietur, sed manet penitùs immobile; nec stella aliqua corporea fulget, sed beatis illis spiritibus non secus atque stellis aliquibus pulcherrimè exornatur; vt proinde meritò de illo dictum sit: Ciuitas non eget Sole neque Luna, vt luceant in ea; nam claritas* DEI *illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus.*

Apocal. cap. 21.

XXI. HOC *cœlum dignitate, situ ac nobilitate præstat cæteris, supremum omnium, & omnis corruptionis expers. Nec temerè dictum est à nonnullis intellectuale, non solùm quia intellectu & ratiocinatione indagatum est; sed etiam quia domicilium est intellectualium entium. Quòd si fortè in hæc inferiora non influit, non ideo tamen existimari debet otiosum; est enim nobilioris ac præstantioris finis gratia institutum.*

XXII. INFERNVS *damnatorum perpetuus carcer, locus est tenebrosus, desperationis ac omnis miseriæ plenus, cœlo Empyreo omnino contrarius. Et licet dubitent nonnulli, vbi nam locorum sit infernus; nobis tamen satis apertè ex Scriptura posse colligi videtur, esse intra viscera terræ. Infernus subtus (inquit Isaias) conturbatus est in occursum aduentus tui. Et Ecclesiasticus prædicens descensum* CHRISTI *ad inferos, dixit: Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in* DOMINO. *Denique explicans Scriptura, quomodo Dathan & Abyron descenderint in infernum, ait: Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum*

In cap. 14.
Eccles. cap. 24.
Num. cap. 16.

taberna-

tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum; descenderuntq́; viui in infernum operti humo, perierunt de medio multitudinis.

XXIII. *LIMBVS Patrum (qui sinus Abrahæ à* CHRISTO *non immeritò dictus est, vt ille, qui in terris exemplar fuit & Pater credentium, in altero etiam seculo fideles filios in suum quasi sinum suscipere ac fouere significaretur) locus erat apud inferos, iis tantùm aßignatus, qui iam ab omni peccati labe immunes, vel hîc, vel in altera certè via peccatorum pœnas exoluerant; siue illi Hebræi essent & diuinæ legis obseruatores; siue aliunde orti, naturæ tamen ductum & instinctum secuti. Et quoniam his, qui illic detinebātur, vnus* CHRISTI *tantùm aduentus expectabatur, quo* DEI *præsentia fruerentur; ideo certum est hunc limbum iam non extare amplius; Patribus à* CHRISTO *eductis, & magno cum triumpho secum euectis in cœlum.*

XXIV. *EST autem horum receptaculorum hic situs & dispositio, quantum coniecturis & Sanctorum dictis assequi possumus. In visceribus terræ vastus quidam circa centrum extat hiatus, in cuius ima parte reproborum animæ tartareis flammis excruciantur:* Luc. cap. 16. *In superiori fuit sinus Abrahæ; id, quod* CHRISTVS *non obscurè significauit, de illo purpurato diuite loquens, qui cùm esset in tormentis eleuans oculos suos, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius: Sic enim (inquit August.)* Lib. 20. De Ciuit. Dei, cap. 15. *non absurdè credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi* CHRISTI *tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotißimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis* CHRITSI *descensus erueret.* Lib. 12. Moral. *Adhuc clariùs D. Gregorius: Nec tamen, inquit, ita iustorum animas ad infernum descendisse dicimus, vt in locis pœnalibus tenerentur; sed esse inferiora inferni loca, esse alia superiora credenda sunt, vt in superioribus iusti requiescerent, in inferioribus iniusti cruciarentur.*

XXV. *RELIQVA duo loca sunt intermedia; & paruulorum quidem limbus limbo Patrum proximus est: Purgatorium verò immi-*

rò imminet inferno, vt sic idem ignis & DEO inimicas animas torqueat, & purget amicas: Nam (quod à D. Gregorio appositè dictũ est, quamuis ad aliud institutum) sicut sub eodem igne aurum rutilat & palea fumat; ita sub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur. Quamuis neque absurdum fuerit, si inter sinum Abrahæ & reproborum gehennam, ex vna parte esse limbum paruulorum, ex altera Purgatorium asseramus. Denique hæc omnia loca, non muro vel aliquo alio termino, sed variis proprietatibus ac qualitabus, DEI voluntate, à se inuicem sunt distincta. Lib. 4. Dialog.

CAPVT TERTIVM, DE EA ANIMARVM SEDE, QVAM PVRGATORIVM DICIMVS.

CONCLVSIO XXVI.

DE HOC animarum receptaculo iustas ob caussas agemus aliquantò vberiùs. Et licet vix aliquid noui in hac materia afferri poßit, quod non iam à piis & doctis viris attactum sit; dabimus tamen operam, vt in his Thesibus, quanta possumus breuitate, clarè demonstremus, quàm infirma & nullius momenti ea sint, quibus hæretici Scripturarum loca ad astruendum Purgatorium accommodata, vel eleuare, vel in peregrinos, & alienos sensus torquere se posse arbitrantur. Atque illud primùm sit positum, Purgatorij nomine nihil aliud à Catholicis intelligi, quàm locum aliquem in altero Seculo, in quo mortalium animæ corporeis vinculis absolutæ tandiu detinentur, donec à contractis maculis expurgentur, & DEO debitam pro peccatis satisfactionem compleant.

XXVII. NVNC, vt ab eo incipiamus, vnde malum hoc ortum est, Lutherus in hac hæresi (hæreticorum more) inconstans planè & varius fuit: Is enim in Articulis à Leone Decimo Pontifice damnatis, admittit quidem Purgatorium, sed alibi negat posse ostendi ex sacris literis. Crediderim ingeniosum hominem sui oblitum, cùm aliis in locis doceat, nihil esse admittendum, quod non possit ex sacris literis comprobari. Alibi: Tutius (inquit) est totum Purgatorium negare, quàm Gregorio in Dialogis credere. Quasi verò Gregorius Purgatorium excogitauerit. Rursus in resolutione Indulgentiarum, habet hæc verba: Certißimum apud me constat, Purgatorium esse, neque adeò me mouet, quicquid hæretici blaterent, cùm iam ante mille & centum annos D. Augustinus in Lib. suarum confeßionum pro parentibus suis oret, curet etiam pro iisdem orari, ipsaque adeò mater eius iam iam moriens (ita enim scribit) voluerit sui memoriam fieri ad Altare DOMINI. Et vt maximè temporibus Apostolorum Purgatorium non fuisset, veluti molestus superbit Picardus; ideóne credendum statim hæretico, quinquaginta vixdum annorum? Aut igitur pertinaciter contendendum, fidem hanc, quæ tot perdurauit annos, falsam esse & irritam? Et in quadam disputatione Lipsiæ habita: Ego (inquit) qui credo fortiter, imò ausim dicere, scio Purgatorium esse, facilè persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem. Denique paulò pòst in eadem Disputatione: Ego (inquit) cum beatißimis Patribus, Purgatorium esse confiteor, nec tamen est necesse dicere, qua via nouerim Purgatorium. Dixissem illud Prouerbiorum: Impius facit opus instabile; nisi Iacobus Heerbrandus egregriè, vt ipsi videtur, hæc omnia conciliâsset, dicens; ea licet pugnantia, diuersis tamen temporibus à Luthero scripta fuisse. Præclarum profectò glossema. vt scilicet nouis istis hominibus liceat in re grauißima, quicquid libuerit pro suo arbitratu, modò affirmare, modò negare; & ad extremum, vbi satis lusum fuerit, tribus verbis omnia componere, si dicant, non vno eodemq; tempore se illa scripsisse. Sed, scripserit diuersis

Artic. 38. & 39.

In 324. Assert. apud Eccles.

Con. 15.

Lib. 9. Confess.

Prouerb. cap. 12.

In Disput. contra Purga. Tubingæ habita. Posit. 81.

uersis temporibus, certè pleraque pugnantia iis temporibus scripsit, quibus se DEI spiritu iam agitari putabat.

XXVIII. REFERT Clemens Romanus, iussisse D. Petrum, vt pro mortuis preces fierent, atq; pauperibus eleemosynæ distribuerentur, & agerentur exequiæ. Magdeburgenses Centuriatores videntes hinc inferri Purgatorium (nam huiusmodi operibus beati nõ egent, damnati verò minimè iuuantur) dixerunt, hæc aliena esse à sana doctrina, quia nusquam in Scriptura reperiuntur; quàm rectè, iudicent alij. Sed mirum est & à ratione valde alienum, quòd isti, quæ in Scriptura expressa non sunt, admittere nolunt; quæ verò sunt, suo sensu, spretis antiquorum Patrum expositionibus, interpretantur, atque ita volunt ab omnibus intelligi ac recipi. Quis non videt, contra omnem rationem eos agere & partem & iudicem?

In sua prima Epist.

Aduersus Epistolas decretales Pontificum.

XXIX. VERVM quicquid isti somnient, ex Scripturis non obscurè colligitur, esse Purgatorium. Ac inprimis: Qui dixerit (inquit CHRISTVS) verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neq; in hoc Seculo neque in futuro. Ex quo inferunt sancti Patres: Ergo in altero Seculo, si non hoc contra Spiritum sanctum, alia certè leuiora peccata remittuntur; alioqui frustra CHRISTVS adiecisset illud; Neque in futuro Seculo. Sicut, si in hoc Seculo nulla fieret remissio, quis non videt, frustra atque inaniter adiecturum fuisse: Non remittetur ei in hoc Seculo? Quod si ita est, peto ego ab istis: Quis ille locus est, in quo, si non blasphemia in Spiritum sanctum, at leuiora tamen peccata remittuntur? non cœlum, opinor, in quod nihil intrat coinquinatum; non infernus, in quo nulla est redemptio: Neque rursum limbus puerorum, in quo tantùm detinentur, qui sola originali labe sunt infecti. Dandus igitur est alius locus (quem nos Purgatorium appellamus) in quo animæ soluant, quod debent, & eis peccatorum pœna remittatur.

Matth. cap. 12.

Greg. in 4. Dialog. cap. 35. d. 25. cap. Qualis. Bernard, Ser. 66. super Cant. August. lib. 21. De Ciuit. Dei, ca. 24. Petrus Cluniacensis in Epist. contra Petrusianus.

XXX. AT ridet Oecolampadius & locum simul, & argumentandi formam. Perinde est (inquit) atque si dicerem: Neq; corpore neque animo sanus sum: habeo ergo alibi sanitatem. Atq; vt ex hac

In Disputat. cum Eccio in Heluetia habita conc. 5.

forma nihil aptè concluditur; ita neque ex illis verbis: Neque hîc neque ibi remittitur; rectè collegeris, ergo est Purgatoriũ. Vult enim, inquit Oecolampadius, CHRISTVS *ibi tantùm significare, blasphemiam in Spiritum sanctum nunquam habituram remissionẽ. Verùm si ille vim argumenti percepisset, neque tam leuiter illud irrisisset, neque allatum à se exemplum in medium adduxisset.*

XXXI. P*RIMVM enim, etsi mens* CHRISTI *fuerit significare, blasphemiam in Spiritum sanctum non condonatum iri; eo ipso tamen quòd hoc illa loquendi formula expressit, Neque in hoc Seculo neque in futuro; satis ostendit, alia ibi peccata solere remitti. Quemadmodum etiam si aduocatus quispiam dicat suo clienti: Tanti sceleris nec à Senatu nec à Principe veniam obtinebis; quis est tam stupidus, qui non mox colligat, alia scelera leuiora vel à Senatu vel à Principe condonari solere. Deinde non animaduertit Oecolampadius suo se gladio iugulari: Qui enim affirmat, se nec animo nec corpore sanum esse, profectò indicat, sanitatem alioqui solere esse vel in animo vel corpore. Pari ergo modo dicimus,* CHRISTVM, *dum in altero Seculo negat hoc peccatum remitti, apertè testari, aliorum remissionem ibi fieri. Neque enim de eo laboramus, quòd ibi non nominetur Purgatorium; rem teneamus, & sciamus, locum esse post hãc vitam, in quo peccata remittantur.*

Apocal. cap. 21. XXXII. R*VRSVM ex Scriptura habemus, in cœlum nihil intrare coinquinatum: Et illud Apostoli: Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta & immaculata. Quæ satis constat, non posse intelligi de Ecclesia militante, in qua, si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Denique in ea docuit nos* CHRISTVS *dicere: Demitte nobis debita nostra. Intelligitur ergo de triumphante; vt ante nos intellexerunt* [a] *D. August. &* [b] *D. Hieronymus. Iterum docet Scriptura, in infernum non descendere, nisi qui extra charitatem, & in peccato mortali decedunt. Dicant ergo iam obsecro, qui Purgatorium negant,*

Ad Ephes. cap. 5.

1. Ioan. cap. 1.

Matth. cap. 16.

a In 20. De Ciu. Dei cap. 25. & lib. de hæret. ad Quod vultdeum cap. 88.

b In comment. in Ierem. super ca 31.

negant, quid de illis futurum sit, qui venialium peccatorum maculis aspersi, vel certè adhuc pœnæ debitores excedunt è corpore? infernúmne adibunt? at sunt in charitate; celúmne? at sunt coinquinati. Fateantur ergo oportet, tertium esse locum, in quo & purgentur à maculis, & suam compleant satisfactionem.

XXXIII. *Si dicant, morte voluntariè & libenter acceptata tanquam à manu* DEI, *omnia remitti: Primùm experientia constat, plurimos esse, qui mortem non libenter acceptent; qua in re sæpe sit, vt denuo peccent venialiter. Deinde quot sunt, qui dormiendo diem obeunt? quot, qui pugnando non absq; veniali cadunt? nunquid isti mortem æquo animo acceptant? Deniq; quot sunt, qui obstinati in multis venialibus decedunt? Necesse est dicant aduersarij,* DEVM *gratis omnia illa leuia peccata, atq; vnà pœnam eis debitam condonare. Atq; ita falsus est Iob, cùm dixit:* DEVS *inultum abire non patitur; mentitus est Sapiens, cùm aiebat: Cuncta, quæ fiunt, adducet* DOMINVS *ad iudicium pro omni errato; errauit* CHRISTVS *ipse docens homines reddituros rationem in iudicio de omni verbo otioso. Si enim gratis omnia condonantur, non debent adduci in iudicium.* Cap. 24. Ecclef. cap. 12. Matt. cap. 12.

XXXIV. ILLVD *verò, quod dicunt Aduersarij, Purgatorium inuentum esse Monarchorum impij lucri gratia, vt scilicet populi inducerentur ad offerendum pro defunctis, falsum est & ab ipsismet confictum. Laudat Scriptura Iudam Machabæum, qui duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum. Et subiungit Scriptura: Quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Lib. 2. Machab. cap. 12.

XXXV. NEC *est quòd obijcias, cæsos illos grauiter peccâsse, cùm acciperent donaria idolorum, contrà atq; fuerat præceptum; malè igitur pro eis in peccato defunctis oblatum esse Sacrificium. Non enim est credibile, qui in pugna ceciderant, ad vnum omnes*

violâsse præceptum: Aut si violârunt, ostendit tamen Scriptura, illos, si non omnes, plærosque tamen resipuisse; cùm caussam sacrificij aßignet pietatem occisorum: Considerabat, inquit, quòd hi, qui cum pietate, &c.

XXXVI. ADVERSARII hac auctoritate se stringi videntes, negant librum esse Canonicũ. Expectabam vt dicerent, Monachum aliquem illa verba inseruisse. Sed non minùs errâssent, quàm cum negant librum esse Canonicum; siquidem contrarium attestatur Concil.[a] Aphricanum tertium,[b] Sexta Synodus,[c] Concil. Florentinũ, & vltimò[d] Tridentinum. De eo etiam fit mentio in Can. 84. Apostolorum.[e] D. Augustinus: Libros Machabæorum, inquit, non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet. Et[f] D. Hieronymus affirmat, se primum librum Machabæorum vidisse Hebraicè conscriptum, secundum verò extare Græcè. Verùm qualecunque illud testimonium sit, (faciamus enim in gratiam istorum non esse Canonicum) habemus tamen ex eo primùm, esse Purgatorium: Deinde habemus, consuetudinem illam pro mortuis offerendi rem esse antiquißimam, & non inuentum Monachorum, vt ipsi fingunt; id, quod etiam infrà pluribus Patrum testimoniis confirmabitur.

a Canon. 47.
b Ca. 8[illegible]. cap. 2.
c In vnio. Arm. Sess. 3.
d In Sess. 4.
e Lib. 18. De Ciuit. Dei, cap. 36. & 2[illegible]. de doctri. Christiana, cap. [illegible]
f In Prologo Galeato.

XXXVII. SVNT in veteri Testamento plurimæ Scripturæ, in eandem sententiam, quas, ne instituti nostri limites egrediamur, breuiter tantùm attingimus. Michæas: Ne læteris, inquit, inimica mea super me, quia cecidi; consurgam cùm sedero in tenebris. DOMINVS lux mea est. Iram DOMINI portabo, quoniam peccaui ei, donec caussam meam iudicet, & faciat iudicium meum; educet me in lucem, videbo iustitiam eius. Et Iob: Quis hoc mihi tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus? Neque enim hoc potest intelligi de sinu Abrahæ, vbi nullus erat furor DOMINI: DOMINE (inquit Dauid) eduxisti ab inferno animam meam: Saluâsti me à descendentibus in lacum. Transiuimus (inquit idem Propheta) per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Quem locum in hunc sensum citant[a] Origenes &[b] Ambrosius.

Cap. 7.
Cap. 14.
Psalm. 29.
Psalm. 65.
a In Homil. 25. in Num.
b in Psalm. 188.

brosius. Scio hæc loca aliter exponi posse: Sex hoc neminem mouere debet; admittit enim Scriptura vno eodemque loco plures sensus literales.

XXXVIII. VENIAMVS ad nouum Testamentum. Si quis (inquit D. Paulus) superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusq; opus manifestum erit: Dies enim DOMINI declarabit; quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Superiùs dixerat Apostolus, vnumquemque propriam mercedem accepturum secundùm laborem; & declarans, qualem quisque mercedem esset accepturus, subiungit allegata verba; in quibus duos veluti ordines constituit: Alterum eorum, qui damnantur ob sua mala opera, significata per ligna, fœnum, stipulam; quæ scilicet igne absumuntur, & digna sunt flammis tartareis, iuxta illud: Paleas comburet igne inextinguibili: Et ita exponit Theophanes Episcopus Niceæ. Alterum facit ordinem eorum, qui saluantur propter bona opera, significata per aurum, argentum, & lapides pretiosos; transeundo tamen per ignem, qui minutas sordes purgare debet, si quæ sunt bonis illis operibus admixtæ. Iterum duos ignes facit Apostolus; vnum animæ detrimentum afferentem, semper vrendo; alterum purgantem, per quem sine detrimento transitur ad salutem. Denique concludens, quam mercedem sint homines accepturi, dicit: Cuius opus arserit, accipiet mercedem detrimenti, in igne scilicet inextinguibili inferni: Cuius verò opus manserit, saluus erit; hoc est, accipiet mercedem salutis, sic tamen quasi per ignem, postquam scilicet erit igne purgatus.

1. Cor. cap. 3.

Matth. cap. 3. In Symphonia veteris & noui Testamenti.

XXXIX. QVOD si hæc de duplici igne expositio non placeat Aduersariis; id vnum ex sententia Apostoli in verbis citatis concedant necesse est; esse nimirum locum in die DOMINI (qui est alterum seculum) vbi priùs detrimentum patiuntur animis, ac tum

demum ſaluentur; Quod de inferno nequit intelligi, cùm ſtatim ſubiungat Apoſtolus: Ipſe autem ſaluus erit; ſic tamen quaſi per ignem. Per ignem enim inferni, vt conſtat, non tranſitur ad ſalutem; tranſitur autem per ignem Purgatorij. Ita ſancti Patres tum alibi tum in ſuis Commentariis in Epiſtolam ad Corinthios hunc locum intellexerunt. Quorum interpretationes non grauatim adferrem, ſi Aduerſarij, vt eas negare non poſſunt, ita, quod meritò deberent, reuererentur.

In Disputat. Tubingæ habita cõtra Purgat. prop. 43. & 141.

Cap. 69.

In Serm. 4. de commem. anim. qui eſt Serm. 41. inter Ser. de ſanctis, & referturd. 25 cap. Vnumorarium.

XL. *D. tamen Auguſtinus (quem ſilentio etiam cum aliis præterijſſem, niſi eum aliqui ex Sectariis iniquè ſatis traducerent, tanquam dubium, varium & ſibi contrarium in hac materia) locum Pauli de igne tribulationis in Enchiridio intellexit; ſed mox tamen ſubiunxit: Tale aliquid etiam poſt hanc vitam fieri, incredibile non eſt. Et alibi eundem locum explicans: Multi ſunt, inquit, qui lectionem iſtam malè intelligentes, falſa ſecuritate decipiuntur, qui credunt, ſi ſuper fundamentum* CHRISTI *capitale crimen ædificant, peccata ipſa per ignem tranſitorium poſſe purgari, & ipſos poſtea ad vitam perpetuam peruenire. Intellectus iſte, fratres chariſsimi, corrigendus eſt, quia ipſi ſe ſeducunt, qui taliter ſibi blandiuntur; illo enim tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus; (ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem) non capitalia ſed minuta peccata purgantur. Sunt & alia loca apud D. Auguſt. in quibus meminit Purgatorij; ſed in re clara non eſt immorandum.*

In lib. 21. De Ciuit. Dei, cap. 24.
In expoſitione Pſalm. 37.
In Diſput. habita in Heluet. conclu. quinta.

XLI. MVLTVM *ſudat Oecolampadius in exponendo D. Paulo. Ait enim, Apoſtolum (quicquid Patres & Doctores omnes eum locum interpretantes ſenſerint) per ignem intelligere tentationes præſentis vitæ; loqui autem contra falſos Doctores, qui ſe pro veris populo venditant, quos adueniens tribulatio probat. Et quidem per aurum, argentum, bonos; per fœnum autem & ſtipulam, malos Chriſtianos vult ſignificari; quippe quos omnes abſque diſcrimine tribulationis & perſecutionis ignis probat & examinat. Verùm quàm*

aliena

aliena sit hæc expositio à mente Apostoli, qui non de hominibus loquitur, sed de hominum operibus, quæ vel pænitùs ab igne absumuntur, vel remanent purgata, ipsemet Oecolampadius animaduertens, mox secundam expositionem subiunxit.

XLII. AIT ergo, Apostolum loqui de Prædicatoribus, qui cùm populum à se ad CHRISTI fidem traductum, persecutionis tempore vident desciscere, detrimentum pati dicuntur, quia non absque dolore hoc illis accidit: Opus autem eorum dicitur ardere, quia populus à fide deficit, quem iampridem CHRISTO adiunxerant. Ipsi tamen Prædicatores (inquit) salui erunt, sed quasi per ignem tribulationis, dum scilicet populi à se conuersi inconstantiam patienter tolerant.

XLIII. VERVM hoc quid aliud est, quàm labenti ædificio sustentacula admouere? veritas enim per se firma consistit. D. Paulus in eo loco generatim de omnibus hominibus loquitur; Oecolampadius contrahit ad particulares quosdam & paucos. Deinde non affirmat Apostolus, eiusmodi vel probationem vel retributionem mercedis futuram in hac vita, vt vult Oecolampadius; sed in altera: Dies enim (inquit) DOMINI (vt etiam Theodoretus legit) declarabit, & vnusquisque suam mercedem accipiet. Vtrumque autem in altera vita fiet, quando reuelabuntur abscondita tenebrarum, &c. Adde quòd Oecolampadij Præceptor Lutherus haud grauatè concessit, Apostolum loqui de altera vita. In Disput. Lipsiæ habita.

VLIV. NON desunt plurima huiusmodi loca in Euangelio. Esto consentiens, inquit CHRISTVS, aduersario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris: Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Quem locum sancti Patres intelligunt de Purgatorio. Matth. cap. 5. Origen. in Epist. ad Rom. D. Cypri lib. 4. Epist. 2. D. Hieron. in Ep. ad Dem. D. Ambr. in Luc. cap. 12.

XLV. IN nomine IESV, ait Apostolus, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Et D. Ioannes testatur, se audiuisse omnem creaturam, quæ est in cœlo, super terram, & infra Ad Ephes. cap. 2. Apoc. cap. 5.

terram,

terram, dicentem sedenti in Throno & Agno: Benedictio, & honor, &
Psalm. 8. gloria, & potestas in secula seculorum. Profectò ista de damnatis nequeunt intelligi, iuxta illud: In inferno autem quis confitebitur tibi? Laudant autem DOMINVM, & ei confitentur animæ, quæ sunt in Purgatorio. Atque ita aptißimè intelligitur alia Scriptura, quæ
Psalm. 123. dicit: Non mortui laudabunt te DOMINE, neque omnes, qui descen-
Cap. 2. dunt in infernum. Et Baruch: Non mortui, inqt, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt honorem & iustificationem DOMINO; sed anima, quæ tristis est super magnitudinem mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes & anima esuriens dat tibi gloriam. Loquitur autem de altera vita, vt ex contextu patet. Quæ verba non possunt conuenire nisi animabus existentibus in Purgatorio.

XLVI. DENIQVE qui fatentur eorum, qui è viuis excedunt, alios esse optimos, alios pessimos, quosdam verò medio quodam modo affectos; (fateri autem hoc quotidiana experientia cogit) eos sanè manifestè constat cum ratione pugnare, si nō item medium quendam locum admittant, quem Patres Purgatorium appellârunt. Nam si sanctæ quidem & probatæ vitæ homines, fatentur in cœlum ferri, perditos verò mox ad inferos trahi; quæ ratio obsecro suadere potest, non esse etiam pro mediocriter bonis & ex parte malis medium locum inter cœlum & gehennam?

XLVII. VNDE (si rectè res perpendatur) Purgatorium negare, aliud non est, quàm sacra & œcumenica Concilia, propè innumera, omnes sanctos Pontifices, qui ab initio CHRISTI Ecclesiam rexerunt, omnes denique Doctores atque adeò totam Ecclesiam vel mendacij vel erroris condemnare. Qualem verò Ecclesiæ suæ curam habuisset CHRISTVS, si eam tot seculis in tanto errore reliquisset? Profectò iusta nobis de eo, tanquam de deceptore, conquerendi caussa suppeteret; quippe qui in cœlum ascensurus, promisisset
Ioan. ca. 14. & 15. quidem, se fidum Doctorem inde ad nos transmissurum, qui doceret omnem veritatem; sed promißis minimè stetisset. Aiunt enim aduersarij

uersarij omnes nos hucusque in errore versatos, & veram de Purgatorio doctrinam, non per Spiritum sanctum ab initio Ecclesiæ, sed per Lutherum Apostatam suis Symmystis esse patefactam. Nos verò multam illi dicimus salutem; neque enim sumus tam insipientes, vt credamus mille & quingentos annos tum orientalem, tum occidentalem Ecclesiam latuisse veram Purgatorij cognitionem; & in hac vltima mundi ætate, in angulo quodam orbis primùm iuuentam. Sed ne hæc gratis asserere videamur, breuiter Concilia, Pontifices & Patres annotabimus, qui Purgatorium esse, & crediderunt ipsi, & posteris credendum proposuerunt.

XLVIII. ERGO *esse Purgatorium seu locum animarum expiationi deputatum, hæc Concilia inter alia docuerunt;* [a] *Carthagin.* III. [b] *Carthagin.* IIII. [c] *Viennense,* [d] *Valentinum,* [e] *Aurealianense* II. *Bracharense* I. *cap.* 34. 39. *Bracharense* II. *Can.* 10. *Antiosiodorense Can.* 17. *Vormaciense cap.* 10. *Tribur. cap.* 15. 16. *&* 31. *Toletanum* VII. *cap.* 2. *Epanense & refert.* 26. *quæst.* 6. *cap. Si Aliquis, Gabilonense de Consecr. d.* 1. *c. Visum est,* [f] *Lateranense Maximum,* [g] *Constantiense,* [h] *Florentinum &* [i] *Tridentinum.*

a Can. 29. & refert. de consecr. d. 1. cap. Sacrament.
b Can. 79. & 95. & habetur 26. q. 7. Can. Sacerdos.
c Can. 2. & 6. & refert. 13. q. 2. cap. Qui oblationes.
d Can. 4.
e Cap. 14.
f Can. 66. habetur de Symoniaca. ad Apost.
g Sess. 8. Artic. 5.
h In decreto Vnionis.
i Sess. 6. Can. 30. & Sess. 25. cap. 1.

XLIX. IDEM *sua auctoritate confirmant Summi Pontifices Petri successores. Clemens Romanus Petri discipulus in Epist.* 1. *ad Iacobum fratrem* DOMINI, *refert D. Petrum docuisse pro defunctis orare ac dare eleemosynas;* [k] *Symmachus in Concil. Romano;* [l] *Gregorius Magnus pluribus in locis;* [m] *Gregorius* II. [n] *Innocentius* III. *Eugenius* IIII. *in decreto vnionis Concilij Florentini. Denique omnes Pontifices, qui concesserunt indulgentias pro defunctis (concessêre autem ferè omnes) hanc veritatē confirmârunt; cùm certò constet, Indulgentias damnatis non prodesse; beatos verò, qui sunt in cœlo, illis non indigere; indigent autem solùm animæ, quæ sunt in Purgatorio.*

k Refert. 16. q. 1. ca. in Canonibus.
l In 4. lib. Dialogorum.
m In Epistol. ad Bonifacium.
n De celebrat. missæ cap. cum Martha.

L. DE *Ecclesiæ Doctoribus ac aliis sanctissimis & doctissimis Patribus non est quòd dicamus: Fatentur aduersarij, illos Purgatorium credidisse, & suis Scriptis aliis credendum suasisse: Verùm*

addunt, eos omnes in errore fuisse versatos; gratias habendas esse Luthero, qui primùm nobis hanc nouam lucem (si diis placet) attulerit. Sed absit, vt vnum religionis desertorem anteponamus tot sanctißimis Patribus, [a] *Augustino,* [b] *Hiero.* [c] *Ambros.* [d] *Greg.* [e] *Cyril.* [f] *Cypr.* [g] *Orig.* [h] *Diony. Areop.* [i] *Basil.* [k] *Naz.* [l] *Chrisost. Damasceno in sermone de iis, qui in fide ob dormierunt, Theophyl. in 12. cap. Luc. Epiphanio contra hæresim Aërij lib. 3. hæresi 78. Tertulliano in exhortatione ad castitatem & in libro de Monogamia, & innumeris aliis, qui omnes disertis verbis vel Purgatorium asserũt, vel (quod in idem incidit) aliquid in defunctorum subsidium faciendum docent.*

a In lib. de cur. pro. mor. in Enchir. cap. 69. Ser. 4. seu. 41. de Sanctis l. 9. confess. cap. 12.
b In fin. 18. lib. in Isai. in vita Paulæ.
c In oratione funebri Gratia. de obitu Theodosij & in Commen. 1. Corinth. 3.
d Lib. 4. Dialog. cap. 15. 39. &c.
e In lib. 14. in Leuit.
f In lib. 4. Epist. 2. & 5.
g Homil. 6 super Exod. Hom. 12. in Ierem. & super Num. 25. & 23.
h De Eccl. Hier. cap. 7. p. 3.
i In Liturgia precat. 3.
k In oratione 7.
l Ho. 32 in Mat. & Hom. 3 in cap. 1. Epi. ad Phil.

LI. PARCENDVM *sanè esset Sectariis & mitiùs cum eis agendum, si maioris momenti fuissent, quæ eos in hunc tam tetrum errorem contra tot Patres ac vniuersam Ecclesiam induxerunt. Quæ verò ea sint, nunc paucis dicamus. Ac primùm, aiunt* * *Scripturam duo tantùm agnoscere loca, sinum Abrahæ & infernum, regnum cœlorum & ignem æternum. Quo argumento tanquam ariete quodam sæpe iam aliâs ab eiusdem farinæ hominibus Catholicorum muris admoto, putat Heerbrandus, se Purgatorium funditùs euertisse. Verùm vbinam degent paruuli, qui cum solo originali decedunt, si duo sunt tantùm loca? Non in cœlo, quia sunt originali labe coinquinati: Non in pœnis Gehennæ; quia cùm nihil mali gesserint in corpore suo, cur debent in inferno torqueri? Adde quòd D. Augustinus tantùm dicit, eos esse in tenebris, extra inferni tormenta. Loquuntur igitur ibi sacræ Literæ de illis tantùm locis, in quibus homines in perpetuum recepturi sunt, prout gesserunt in corporibus suis, siue bonum, siue malum. At qui in Purgatorio detinentur, nondum peruenerunt ad terminum; sed quasi nonnihil retardati in via, etsi non ita rectà, in cœlum tamen tendunt, ac inter* DEI *filios numerantur.*

* Luc. cap 16. Matth. cap. 25.
In Disputat. contra Purgatorium prop. 9.
De beatissimo paruulorum, cap. 23.
2. Cor. cap. 5.

Cap. 18.

LII. ILLVD *verò, quod ex Ezechiele pro se afferunt, vbi* DEVS *omnium iniquitatum ad peccatoris gemitus non se recordaturum*

turum pollicetur; recordaretur autem vel maximè, & non absque furore, si in Purgatorio pro peccatis adhuc dandæ sint pœnæ: Illud, inquam, totum, non ad probandum, sed ad decipiendum videtur allatum. Ibi enim Propheta non quoscunque gemitus, sed pœnitentiam, iustitiam, & præceptorum obseruantiam requirit, quæ si hîc præstita non fuerint, vt debent, in Purgatorio vtique per satisfactionem restant supplenda. Neque enim Catholici eos, qui perfectam pœnitentiam ante mortem egerunt, Purgatorio addicunt.

LIII. SED *aiunt aduersarij, nos, dum sumus in eam rem intenti, vt remedium aliquod statuamus iis, qui cum leuibus maculis hinc excedunt, non aduertere, quantum* CHRISTO *eiusque dignitati ac meritis derogemus: Quid enim, inquiunt, aliud est Purgatorium post hanc vitam requirere, quàm significare,* CHRISTI *satisfactionem, & sanguinem non fuisse sufficientem ad exiguas illas pœnas delendas? Sed neque hæc nobis noua est cantilena, qua satis indicant, ignorare se, quid sit* CHRISTVM *penè ac sufficienter satisfecisse. Petimus enim ab illis: Nunquid* CHRISTVS *satisfecit & mortuus est pro fidelibus tantùm, non etiam pro Iudæis, pro Indis & Saracenis? Cur igitur istis non prodest mors* CHRISTI *ad salutem? Nunquid quia illis infernum statuimus, idcirco noui isti Theologi dicent,* CHRISTVM *non sufficienter & plenè pro illis operatum esse salutem? non opinor. Animaduertent enim, hanc non* CHRISTI *culpam esse aut defectum, sed eorum, qui non applicant sibi* CHRISTI *satisfactionem & mortem, per fidem, pœnitentiam & alia pia opera.*

LIV. *ERGO* CHRISTVM *plenè & sufficienter satisfecisse, nil aliud est, quàm ea plenè & abunde fecisse, quæ ex parte sua requirebantur. Hoc tamen non tollit, quin etiam homo opera sua satisfactoria debeat adiungere, quibus sibi* CHRISTI *satisfactionem & valorem applicet. Si quis verò in hac vita hæc complere neglexerit, complebit vtique & supplebit in Purgatorio. Denique tantùm abest, vt Purgatorium eleuet* CHRISTI *merita, vt vel*

maximè commendet. Vnde enim igni vis illa expiandi, nisi ex CHRISTO *& propter* CHRISTVM*?*

LV. BONO *proinde animo sint noui isti dogmatistæ, & neq; timeant neque doleant,* CHRISTVM *à Pontificiis factum esse dimidium saluatorem; eò quod dicant, suas satisfactiones cum* CHRISTI *satisfactionibus esse coniungendas. Si hoc est facere dimidium saluatorē, non sumus nos primi, qui id facimus. Fecit ante nos D. Paul. suas satisfactiones coniungens* CHRISTI *satisfactionibus. Gaudeo nunc, aiebat, in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum* CHRISTI *in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. En nihil reformidat Apostolus adimplere ea, quæ desunt passionum* CHRISTI. *Rursus quoties ille orat pro Romanis? pro Corinthiis? pro aliis? si nouatores consulamus, nihil hoc est aliud, quàm dimidiatas efficere orationes* CHRISTI. *Si enim* CHRISTI *preces per se satis sunt, non est quòd oret Paulus. Intelligant ergo aliquando, quid velimus, cùm dicimus, nostras satisfactiones etiam requiri, si vel hîc vel in Purgatorio debeant peccatorum pœnæ remitti. Non affirmamus, illarum pœnarum partem remitti meritis* CHRISTI, *partem solui nostris satisfactionibus; hoc enim esset facere* CHRISTVM *medium Saluatorem: Sed intelligimus,* CHRISTI *merita & satisfactiones nobis applicari per nostras satisfactiones & bona opera; & omnem valorem, qui est in nostris satisfactionibus esse à* CHRSSTO *& per* CHRISTVM. *In ipso enim benedixit nos* DEVS *omni benedictione in cœlestibus.*

Ad Coloss. cap. 1.

Concil. Trident. Sess. 14. cap. 8.

LVI. *Ex his perspicuum est, ineptum esse modum illum argumentandi, quo isti vtuntur:* CHRISTVS *satisfecit pro nobis: Ergo nobis non est satisfaciendum. Ineptum, inquam, est hoc, & ab Apostolorum doctrina alienum. Aliter longè D. Petrus: In hoc, inquit, vocati estis, quia &* CHRISTVS *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Vnde contrario planè modo ratiocinandum fuisset:* CHRISTVS *satisfecit pro nobis; nos igitur, si eius vestigia insequi volumus, vt Petrus monet, etiam satisfacere debemus.*

1. Petr. cap. 2.

LVII. *AT Caluinus & ex Lutheranis quàm plurimi putant, nos premi posse testimonio D. Ioannis, qui de cœlo iussus est scribere: Beati mortui, qui in* DOMINO *moriuntur: Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. At quæ requies, inquiunt, manet fideles post mortem, si adhuc Purgatorios cruciatus tolerare cogantur? Quasi verò asserant Catholici, omnes animas necessitate quadam per ignem purgatorium ad salutem transire: Nihil minùs. Sed dicunt cum Apostolo, eas duntaxat vim illius ignis experturas, quæ sordes aliquas admixtas habent cùm auro & argento, quod superædificârunt supra fundamentum,* CHRISTVM. *Constat autem, quàm plurimas vel pœnitentiæ lachrymis hîc, dum viuerent, sese sponte abluisse, vel Martyrij tormentis expurgatas omnem peccati scoriam abiecisse. De his igitur, qui verè in* DOMINO *moriuntur, possunt verba illa Ioannis intelligi.* Apo.cap. 14. 1. Cor.cap. 3.

LVIII. *QVOD si hæc illis minùs placent, placeant quæso, quæ Ecclesiastes dicit dictis Beati Ioannis valde (vt puto) conformia: Quodcunq; inquit, potest manus tua, operare, quia nec opus, nec scientia, nec ratio erunt apud inferos, quò tu properas; Profectò si hæc, vt sonant, intelligantur, falsa sunt; cùm certò constet, qui apud inferos sunt, & ratione pollere, & scientias, quas hîc didicerunt, nõ amittere: Verissima autem erunt, si vt debent, accipiantur, quo ad meritum. Qui igitur in* DOMINO *moriuntur, quiescere dicuntur ab operibus suis meritorijs vel demeritorijs. Vnde non sine caussa statim subiunxit D. Ioannes: Opera enim illorum sequuntur illos. Perinde ac si beatus Apostolus diceret, in altera vita non esse locum merendi vel demerendi; beatas proinde esse illas animas, quæ, dum in* DOMINO *moriuntur, hinc sua merita secum ferunt.* Eccles. 9.

LIX. *Ex his facilè diluitur, quòd Magdeburgenses & alij insulsè satis Catholicis obijciunt: Si datur, inquiunt, Purgatorium, & animæ in eo operibus viuentium adiuuantur: Datur igitur extra hanc vitam locus merendi, contra Apostolum docentem, quòd nos omnes manifestari oporteat ante tribunal* CHRISTI, *vt referat vnusquis-* 2. Cor.cap 5.

que propria corporis, prout gesſit, ſiue bonum, ſiue malum. At animaduertant, antiquam hanc eſſe hæreticorum obiectionem, cui multis in locis D. Auguſt. reſpondit; animas in Purgatorio non mereri, ſed hîc dum piè vixerunt meruiſſe, vt illic poſſent iuuari poſt mortem: Atq; ante Diuum Auguſtinũ ſimile quid docet Dionyſius Ariopagita. Hæc de receptaculis & receptaculorum ſitu ac proprietatibus dicta ſint: Qui verò ſit animarum ſtatus ac conditio in vnoquoq; receptaculo, infrà ſuo loco & ordine dicemus.

De cur. pro mor. ger. &c.

CAPVT QVARTVM,

QVAS FACVLTATES ET OPERATIONES HABEANT ANIMÆ SOLVTÆ CORPORE, IN ALTERO SECVLO.

CONCLVSIO LX.

Lib de Eccleſ. dogm. cap. 4.

QVONIAM ſentiendi facultates non in ſola anima perficiuntur, ſed ex parte ab organis corporeis pendent, & vt inquit. D. Auguſt. duabus ſubſtantijs homo conſtat, anima & carne: Idcirco anima carne exuta, etiam animales illas facultates deponat, neceſſe eſt; id, quod non Theologi modò, verùm etiam Ethnici Philoſophi cognouerunt: Quamuis hi ſolam rationem naturalem ſequentes, minus certam cognitionem habere potuerint de anima corporeis vinculis expedita.

Ariſt. de ſomn. & vigil. cap. 1. 2. de Anim. text. 21. & 12. met. tex. 17.

LXI. *NEQVE verò hoc ita intelligi volumus, quaſi nihil omnino earum facultatum maneat in anima, in qua, cùm ſuam radicem conſeruatam habeant, aliquo modo eas manere nemo omnino negare poteſt. Quemadmodum enim ſemen nondum in terram iactum, vim habet producendi germen & fructum; cùm verò terræ coniungitur,*

coniungitur, quod in sua virtute & radice habebat, foras emittit; ita anima separata à carne, sensus habet virtute quadam seu origine; corpori iterum vnita, foris manifestat. Ex quo facile intelligitur illud D. Augustini dicentis, cùm anima recedit à corpore, secum trahit omnia, sensum, imaginationem, intellectum, concupiscentiam &c. Et alibi: Solum hominem, inquit, credimus habere animam sen sitiuam quæ exuta corpore viuit, & sensus suos tenet. Loquitur enim tantùm de his facultatibus, vt virtute remanent in anima. De spir. & anim. cap. 15. De Eccles. dogm. cap. 16.

LXII. *ET quemadmodum non satis est ad producendum germen, quòd semen vim illam in se habeat, sed aliquid præterea requiritur, in quo vim suam exerceat, & producat; non aliter anima separata impotens est ad actiones facultatis sentientis absq; corpore exercendas. Sed neq; status animæ id postulat, quæ corpore deposito, longè diuersissimam vitam ducit ab animali.*

LXIII. *SI ita est, inquies, quî fieri potest vt Theologi communi consensu affirment, animas tum in inferno, tum in Purgatorio, præter damni, sensus quoq; pœnam experiri? Necesse est profectò vel sensum aliquem ac sentiendi facultatem inesse animæ etiam separatæ, vel certè falsum esse Theologorum sensum. Verùm neutrum asserere nos cogit obiectio: Theologi enim pœnam sensus eam appellant, quæ ab anima percipitur, ac suo modo sentitur. Quemadmodum enim dum anima corpori est coniuncta, si contingat corpus comburi, verè illa tristatur, sentitq; combustionis dolorem & afflictionem; ita simile quid illi accidit iam separatæ. Et huiusmodi afflictio, quæ eodem ferè modo in purgatorijs ac Tartareis illis flammis ab anima percipitur, est appellata pœna sensus; ad differentiam pœnæ damni, quæ cùm sit optatæ visionis priuatio, per se percipi non potest.*

LXIV. *QVODSI interdum diuinæ literæ animabus in altero seculo amorem & odium, gaudium & tristitiam tribuant, quæ ad concupiscibilem & irascibilem sensitiuæ partis facultatem spectare videntur; id eo sensu accipiendum est, quo & angeli gaudere dicuntur in cœlis, super vno peccatore pœnitentiam agente: Et quo DEVS* Luc. cap. 15.

omnis

Psal. 59. 73. 105. *omnis sensus (de quo hîc loquimur) expers, nunc lætari, nunc irasci, ab ijsdem sacris literis significatur.*

LXV. CÆTERVM *nemo est, qui dubitet, quin retineat anima superiores illas facultates, quales sunt intellectus & voluntas; quippe quæ sunt vel eadem res cum anima, vel certè sedem suam à corpore seiunctam, totam habent in anima collocatam. De memoria verò intellectiua, quam nonnulli ex sententia D. Augustini in sola anima statuunt, in voce potiùs, quàm in re quæstio tota versatur.* 14. De Trinitat. cap. 11.

LXVI. HINC *fit, vt anima corporis mole liberata, pro natura facultatum, quas secum defert, operetur. Et quoniam alius est animæ status in altero seculo, alium quoq; intelligendi modum esse oportet; siquidem modus agendi sequitur modum naturæ. Non enim ibi, vt hîc dum intelligit, phantasma contemplatur; neq; verò per sensus, quibus eam carere diximus, phantasmata colligere potest: Quare intelligit per species, quas hîc per sensus acquisitas in intellectu vnà cum scientijs retinet & conseruat. De nouo etiam multa intelligere non negamus; sed id per species de nouo à DEO infusas fieri asserimus, quæ sunt veluti participationes quædam diuini luminis.*

LXVII. QVÆ *hîc apud viuentes aguntur animæ separatæ, vi sua naturali nequeunt cognoscere. Defunctorum animæ (inquit D. Greg.) segregatæ sunt ab hac vita & conuersatione viuentium; ideo non est quòd nostra cognoscant. Idem significatum est illis verbis, quæ* DOMIMVS *ad Iosiam Regem Iuda dixit: Iam enim colligam te, inquit, ad patres tuos, & infereris in sepulchrum tuum in pace, nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum & super habitatores eius. Et Iob: Siue fuerint (inquit) filij eius nobiles siue ignobiles, non intelligent. Non tamen idcirco negamus, quin ex diuina ordinatione scire possint, quid rerum apud nos geratur; vt D. Augustinus confirmat.*

Lib. 12. moral. cap. 13.

2. Paral. cap. 34.

Cap. 145.

In l. de cur. pro mor. gerenda, cap. 15.

CAPVT

CAPVT QVINTVM,

QVONAM MODO AC RATIONE ANIMÆ VEL DEDVCANTVR AD SVAS SEDES, VEL INDE EGREDIANTVR.

CONCLVSIO LXVIII.

ANIMA ex corpore tanquam ex carcere quodam atque ergastulo educta, mox diuinum de se iudicium, statum suum & merita, quibus cum carnem deposuit, agnoscit; simul etiam, quò sibi sit eundem. Et sicut certum est, huiusmodi iudicium perfici à CHRISTO DOMINO, cui PATER dedit omne iudicium: Ita probabile est, animam, tum de sententia, tum de loco, ad quem pergere debeat, vel Angelorum maximè tutelaris ministerio edoceri, vel per species tunc à DEO infusas, vel ipso deniq; CHRISTO reuelante, nõ vocali aliqua, aut externa disceptatione, sed virtute diuina, certiorem fieri. Atq; hoc particulare iudicium per inopinatum CHRISTI aduentum sæpius Scriptura significat, dum ait: Vigilate, quia nescitis, qua hora DOMINVS vester venturus sit. Ioan.cap.5. Matth.cap.24. Marc cap.13. Luc.cap.12.

LXIX. QVAMVIS autem nemini dubium esse debeat, animas, vt esse ac naturam; ita seipsas ad destinata loca permouendi vim habere; tamen spatio merendi iam absoluto, Angelorum & Dæmonum ministerio putamus eò deportari, vbi recepturæ sunt digna factis stipendia. Et vt certum est, beatorum animas ab Angelis placidißimè in cœlum ferri, quemadmodum anima mendici Lazari, CHRISTO teste, fuit deportata in sinum Abrahæ; ita credibile est, infelices damnatorum animas magna vi à dæmonibus detrudi in Tartara. Luc.cap.16.

LXX. NEC rarioni nec Scripturæ vlli consonum est, vt animæ, quæ purum tantùm aurum & argentum, absq; omni scoria, su- 1.Cor.cap.3.

 peræd ificâ-

perædificârunt super fundamentum, quod est CHRISTVS, *quæq; pro lege* DEI *sui vel certarunt vsq; ad mortem, vel lauerunt stolas suas in sanguine Agni, retardentur à diuinæ essentiæ visione. Secus frustra Paulus cupiuisset dissolui, vt esset cum* CHRISTO; *frustra & non rectè latroni dictum fuisset à* CHRISTO: *Hodie mecum eris in Paradiso; si vtriq; ad diem vsq; iudicij fuisset expectandum.*

Ad Philip. cap. 1. Lu. cap. 23.

LXXI. NIHILOMINVS *iusta caussa fuit, cur sanctis Patribus in veteri Testamento, & sanctissimis Patriarchis, etiam ab omni culpa & reatu pœnæ liberis, expectandum esset in limbo; nondum enim erat solutum pretium redemptionis ipsorum; nondum effusus pretiosus ille sanguis; quo empti fuerant, promissione facta Patri à Filio; nondum venerat, qui eis cœlum tot seculis peccato clausum reseraret. At iam postquàm apparuit gratia* DEI *Saluatoris nostri, & loquutus est nobis* DEVS *in Filio, ac solutum pretium; patefacti sunt cœli, & via strata est à* CHRISTO. *Nulla proinde caussa superest, quamobrem Martyrum animæ detineri debeant sub Altari* DEI, *& non statim, ergastulo corporis relicto, euolent in cœlum, ad videndum eum, pro cuius nomine sanguinem profuderunt: Video (inquit Stephanus primus* CHRISTI *miles) cœlos apertos, &* IESVM *stantem à dextris* DEI. *Quid hoc fuit aliud, quàm quòd, postquàm apparuit gratia* DEI *Saluatoris nostri, cœli ante egressum è corpore in ipsa adhuc pugna aperti sunt præmium illi ostendentes, vt ouantem iam iam absq; mora susciperent. Stephanus (inquit Scriptura) intendens in cœlum, vidit gloriam* DEI.

Ad Tit. cap. 2. Ad Hebr. cap. 1. Actor. cap. 7. Ibidem.

LXXII. CONFORME *est hoc, quod dicimus, doctrinæ S. Patrum. Inter alios D. Hieronymus, Vigilantium increpans, sic loquitur de errore contrario: Tu* DEO *leges ponis? Tu Apostolis vincula inijcis, vt vsq; ad diem iudicij teneantur in custodia? Ne sint cum* DOMINO *suo, de quibus scriptum est: Sequuntur Agnum, quocunq; ierit? Similia habent plæriq; Patres. Et licet aliqui ex eis ante Ecclesiæ determinationem fuerint in contraria sententia; iam tamen post Ecclesiæ definitionem citra hæresis notam hac de re dubita-*

Contra Vigil. D. August. de Eccles. dogm. ca. 79. D. Gregor. in 4. Dialog. c. 25. & 28.

dubitare non licet. Fateamur nihilominus, plenum illud & consummatum præmium, quod ex vtriusq; partis animæ scilicet & corporis beatitudine conflatur, non ante extremum iudicij diem perceptum iri, de quo est illud Pauli: Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi DOMINVS in illa die iustus iudex.

Bened. XI. in sua extrau. Inno. III. cap. Apostolicam de presbytero non baptiz.

2. ad Tim. cap. 4.

LXXIII. ILLVD verò D. Pauli ad Hebræos, cùm loquens de sanctis veteris Testamenti, subiunxit: Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromißionem, DEO pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur; non est intelligendum de die iudicij, in quo electi simul accepturi sunt præmium, (nisi fortè accipias de præmio consummato animæ & corporis; cui expositioni fauet verbum illud, consummarentur.) Hoc tantùm vult indicare Apostolus, veteris Testamenti Patres non primos & solos accepisse repromißionem, sed vnà cum eis nonnullos etiam sanctorum nouæ legis. Itaq; illud (sine nobis) non personam Pauli determinatè significat, sed indeterminatè aliquos de noua lege. Nam certum est, in illa captiuitate, quam Triumphator CHRISTVS in cælum ascendens, captiuam duxit, præter innumeros antiquos Patres, fuisse etiam Innocentes, D. Ioannem Baptistam, Latronem, Iosephum, & alios: Hos ergo vnà cum illis consummatos esse dicit Apostolus.

Ad Hebr. cap. 11.

Psalm. 67.

LXXIV. ETSI animabus extra receptacula, pro sua voluntate & arbitrio euagari non licet: DEO tamen annuente, interdum egredi permittuntur ad tempus. Hinc Moyses & Elias in monte Thabor visi sunt cum CHRISTO tribus Apostolis. Hinc Samuel Propheta Sauli apparuit in vico Endor. Huc spectant verba D. Hieronymi in Vigilantium paulò antè citata: Tu Apostolis vincula inijcis? Et D. August. Feruntur, inquit, mortui nonnulli vel in somnis, vel alio quocunq; modo apparuisse viuentibus, atque vbi eorum corpora iacerent, intimâsse. Hæc si falsa esse responderimus, contra scripta quorundam fidelium, & contra eorum sensus, qui talia sibi accidisse confirmant, impudenter venire videbimur. D. Gregor. huius rei plurima commemorat exempla.

Matth. cap. 17.

1. Reg. cap. 28.

De Cur. pro mor. gerend. cap. 10.

In 4. lib. Dialog. cap. 16. &c.

LXXV. *SED non, quia eis interdum locum mutare permittitur, putandum est, eas simul etiam conditionem mutare: Nam vt beatæ, quocunq; se conferant, & quibuscunq; spectandas se præbeant, nullum faciunt iacturam beatitudinis; vbiq; enim præsentem habent* DEVM *quem intueantur; ita damnatæ atq; addictæ ignibus Purgatorij, si quandoque potestate sibi facta (quod tamen damnatis & paruulis in limbo rariùs contingere putamus) ad tempus egrediantur, suas secum pœnas vbique circumferunt.*

LXXVI. *AC nemini quidem dubium est, quin huiusmodi permißio, in bonum finem semper à* DEO *fiat, vel in correctionem viuentium, vel in ipsarum animarum subsidium (sæpius enim viuorum suffragia petituræ exire permittuntur) vel deniq; propter aliam quamlibet honestam caussam, vt D. Aug. copiosè loco superiùs citato ostendit. Nobis tamen viuentibus huiusmodi apparitiones optandæ non sunt, vt firmiores simus in fide, & ne videamur parati magis ad credendum apparationi defuncti, quàm* CHRISTI *Euangelio.* (Luc. 16.) *Vnde diuiti illi purpurato petenti, vt Lazarus mitteretur, qui suis fratribus nuntiaret parata post hanc vitam peccatoribus tormenta, dictum est: Habent Moysen & Praphetas, illos audiant. Et rursus vrgenti, quasi faciliùs inducendi essent ad pœnitentiam, si quis ex mortuis veniret, responsum est: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*

LXXVII. (Matth. cap. 9. Marc. cap. 5. Luc cap. 7. Ioan. cap. 11. Actor. cap. 9.) *VT certum est, multos tum à* CHRISTO *tum ab Apostolis & alijs sanctis viris fuisse à morte reuocatos ad vitam; ita non minùs certum est, eorum animas vel ex limbo Patrum aut paruulorum, vel ex Purgatorio redijsse; ex beatitudine verò vel pœnis æternis inferni, post absolutã* DEI *sententiã, reuocatum esse nullum.*

LXXVIII. *ILLVD verò, quod de Traiano refert D. Damascenus, eum D. Gregorij precibus fuisse liberatum ex inferno; cuius rei, inquit, testis est Oriens & Occidens; exponendum est, non negandum.* (In Sermone de his qui in fide migrarunt.) *Cùm per forum, inquit, Traiani lapidibus stratum iter faceret D. Gregorius, validas preces ad misericordem animabusque*

propitium

propitium DOMINVM *habuit, vt Traiano Regi peccata dimitterentur. Et confestim vox allata, audita est in hunc modum, dicens: Preces tuas audiui, & veniam Traiano do. Tu verò deinceps hostiā pro impio ne offeras. Hoc inquam & item illud, quod Sulpitius de D. Martino commemorat, qui à mortuis dicitur excitâsse eum, qui se suspendarat, minimè aduersatur iis, quæ suprà diximus, post absolutam scilicet* DEI *sententiam ex inferno reuocatum esse neminem. Nā Traianus & alij infideles, qui excitati sunt à mortuis, vel non dabant suorum scelerum pœnas in inferno, vel non fuerant vltima sententia inferni pœnis addicti: Vtrumque enim* DEVS *potuit efficere, seruorum suorum merita & orationes præuidens.* Sulpit in vita D Martini.

CAPVT SEXTVM,

DE SVBSIDIIS, QVÆ ANIMABVS DEFVNCTORVM à VIVENTIBVS IMPENDVNTVR.

CONCLVSIO LXXIX.

LVTHERVS *(vt inquit non leuis quidem auctor) mortuorum pariter & viuorum capitalem se hostem esse declarauit, dum hos quidem auocauit à cultu & inuocatione sanctorum, quorum precibus maximè iuuabantur; illos autem priuauit suffragiis viuentium, quæ non parùm eis emolumenti afferebant. Et si* DEVS *est* DEVS *viuorum & mortuorum (siue enim viuimus, siue morimur,* DOMINI *sumus) quanam obsecro fronte, nouitij Hæretici, Lutherum virus Germaniæ* VIRVM DEI, *maiusculis etiam literis nomen consignantes, appellare non verentur?* In suis Præfationibus.

LXXX. VERVM, *clamant Sectarij, suffragia inuentum esse Monachorum, pecuniis emungendis accommodatum. Clamant iterum, non animabus defunctorum, sed viuentibus lucro esse. Quod si*

de suæ sectæ hominibus intelligunt, nihil moror; verißimè dictum est; ijs enim, qui in hæresi diem obeunt, neque suffragia, neque Indulgentiæ, neque Purgatorium prodesse possunt. Adde quòd pro ipsis orare, non laterem tantùm fuerit lauare, verùm etiam grauißimo scelere se obstringere. Si verò de fidelibus id affirmant, qui in Ecclesia piè moriuntur, nimirum illi suo more, quicquid libet, loquuntur, nihil soliciti, quanam id vel autoritate, vel ratione confirment.

LXXXI. NVLLA *natio est tam immanis & barbara, atque de se bene meritorum adeò immemor, quæ non sibi habeat persuasum, locum esse post hanc vitam, in quo parentum, consanguineorum & amicorum animæ detentæ, pijs viuorum operibus adiuuentur. Testes sunt Indi, qui etiam hodie retinent vetustam & à suis maioribus receptam consuetudinem celebrandi anniuersarium diem animarum; quamuis opera, quæ in animarum subsidium ab illis fiunt, multis superstitionibus sint permixta. Testis est Plato, qui de hac re non pauca literis mandauit. Testes denique sunt Saraceni ipsi & Turcæ, suæ legis, qua similia præstare iubentur, non parum studiosi. Quod tamen non idcirco à nobis affertur, vt per se satis firmam Purgatorij & suffragiorum doctrinam, hoc velut vnico fundamento stabiliamus, quemadmodum nonnulli imperitè calumniantur; sed vt intelligant aduersarij, qui Purgatorium & suffragia negant, non Pontificijs tantùm, sed omnibus omnino nationibus & gentibus, quæ animæ immortalitatem credunt, atque adeò rationi ipsi & communi hominum naturæ scelestum à se bellum esse indictum.*

In 4. Tomo literarum Indicarum.

In Phœd.

In suo Alcoran.

In Disput. citata Proposit. 85.

LXXXII. *SVPEREST, vt ad comprobanda suffragia, quæ defunctis impenduntur, accedamus, qua in re tamen breuiores erimus: Siquidem quicquid paulò antè de Purgatorio dictum est, id omne facit etiam ad præsentem materiam confirmandam. Primùm igitur, perpetuus vsus & traditio est in Ecclesia* DEI*, suffragia piè defunctorum animabus cumprimis prodesse. D. Petrus (referente* [a] *Clemente Romano) docuit eleemosynis & orationibus fidelibus defunctis suffragari.* [b] *D. August. Orationibus, inquit, Ecclesiæ*

a In Epist. citata ad Iacob. fratrem Domini.

b Ser. 34. de verbis Apostol. & in Enchir. cap. 110. & habetur 13. cap. Tempus.

clesiæ & sacrificio salutari, & eleemosynis, non est dubitandum, mortuos releuari. [a] D. Athanasius, peccatorum animas, asserit, participare aliqua beneficia ab exangui immolatione & gratificatione pro ipsis facta, sicut solus ordinat & præcipit, qui mortuorum & viuorum potestatem gerit, DEVS noster. [b] D. Basilius: Et memento, inquit, omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ, & refrigera eos, vbi visitat lux vultus tui. [c] D. Chrysostomus: Si preces pro illo faciamus continuas, si eleemosynas demus, & si ille indignus sit, nobis DEVS placatior erit. Et infrà: Non frustra, inquit oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosinæ. Bugalis monialis Germana ante octingentos annos, tempore Zachariæ Pontificis, ad Bonifacium Germaniæ Apostolum ita scripsit: Similiter deposco, vt oblationes missarum offerre digneris pro anima mei propinqui. Ipse Lutherus: Nolo, inquit, mihi suspicionem fieri, quòd faueam hæreticis, aut Boëmis: Ego nihil de Purgatorio noui, nisi animas ibi pati, nostris operibus & orationibus iuuandas.

[a] In lib. de variis q. q. 34.

[b] In sua Lyturgia.

[c] Ho. 21. in Act. Apo.

In Disput. Lipsiæ habita.

LXXXIII. SED hæc non mouent sectarios; qui eò iam dementiæ venerunt, vt neque sanctos neque sanctas quicquam ampliùs curent; Scripturas volunt: Quanquam, quid dico, volunt? Nam si verè vellent, nunquam vel à nobis oblatas vt apocryphas reijcerent, vel à se admissas, extortis & è suo cerebro natis interpretationibus deprauarent. Dicant obsecro, vbinam in Scriptura prohibitum est orare pro defunctis? ostendant, si possunt; aut si nusquam est prohibitum, cur ipsi prohibent? Et cùm sit perpetua huius rei in Ecclesia CHRISTI traditio, & cosuetudo ab Apostolis inchoata, cur eam improbant? Cur damnant?

LXXXIV. VERVM, quoniam Scripturas appellant, scripturas vnà cùm ipsis adibimus; vnum hoc tantùm priùs cuperem intelligere. Cùm plurimæ sint Scripturæ, quæ in varios sensus trahi possunt, vt iam à Catholicis & hæreticis trahi videmus: Vnde obsecro sciemus, quæ nam sit vera illius Scripturæ intelligentia?

Hæretici suam probant; illam Catholicorum reijciunt: Contrà Catholici, nostram admitti volumus; nónne quæso, vt veritas aliquando agnoscatur, standum est eorum sententiæ, qui sunt extra hanc pugnam? Hi verò non alij sunt quàm sancti Patres diu multumq́ in sacris literis versati; at errare Patres, vociferantur Sectarij; nos contrà, ipsos potiùs errare, affirmamus. Quibus igitur credendum?

Suprà in cap. 3. LXXXV. *VENIAMVS nunc ad Scripturas. Inprimis cùm superiùs de Purgatorio ageremus, allata sunt ex vtroq́ Testamento quàm plurima, quæ hanc quoque doctrinam de suffragiis non obscurè comprobant. Sed nunc alia proferamus. Senior ille Thobias hoc consilium vel præceptum inter alia plurima Thobiæ filio dedit: Panem, inquit, tuum & vinum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. En Eleemosynas pro defunctis. Non, inquiunt aduersarij, sed simpliciter iubet filium elargiri Eleemosynas; nihil illi cum defunctis. Si ita est, quorsum ergo illud (super sepulturam iusti.) Deinde nónne antea Eleemosynas erogandas esse præceperat, cùm diceret: Ex substantia tua fac Eleemosynā, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere.*

Thob. cap. 4.

1. ad Tim. cap. 2. LXXXVI. *D. Paulus quoque iubet fieri obsecrationes, orationes, postulationes & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, nulla facta mortuorum exceptione. Cur isti excipiunt? Cur de viuentibus duntaxat volunt intelligi, cùm Apostolus non dixerit pro viuentibus? Deinde nónne, qui in vera fide decesserunt, viuunt in DOMINO? Nónne vita eorum abscondita est cum CHRISTO in DEO.*

Ad Coloss. cap. 3.

2. ad Timo. cap. 1. LXXXVII. *RVRSVS si D. Paulus non semel aliorum pro se atque aliis orationes exposcit; si ipse vicissim orat pro aliis; si denique Lutherani admittunt licere implorare preces sanctorum viuentium; consequens profectò est, vt dicamus, viuentium orationes viuentibus prodesse; alioqui frustra hæc omnia fierent; frustra etiam nos Paulus & Iacobus hortarentur ad orandum pro inuicem. Agè igitur quæramus nunc ex istis, quî fit, vt, quod ab altero factum est id cedat*

1. ad Thes. cap. 1.
1. ad Tim. cap. 2.
Ad Rom. cap. 15.
Ad Philip. cap. 4.
Actor. cap. 12.
D. Iacobus in sua Can. cap. 5.

datin meum commodum? Respondebunt, esse in Ecclesia sanctorum communionem, atq; ita, quia omnes communi charitatis vinculo inter nos colligati sumus, fieri, vt, quod est istius proprium, charitate meum efficiatur. Sed nunquid charitas morte euacuatur? Nunquid excidit? Cur igitur non erit etiam defunctis eadem nobiscum communio, quandoquidem est idem vinculum? Et si paralytico apud CHRISTVM *profuit fides offerentium, cur non etiam defunctis proderunt sacrificia pro ipsis in fide* CHRISTO *oblata.* 1.Cor.cap.12. Marc.cap.2.

LXXXVIII. DEINDE *cum à natura inditum sit, vt eiusdem corporis membra se mutuò tueantur ac iuuent, quid caussæ sit, quamobrem non etiam viuentes subsidio esse queant ijs, qui in* DOMINO *moriuntur? Sumus, inquit Paulus, corpus* CHRISTI, *& membra de membro: Neq; vnum alteri dicere potest: Opera tua non indigeo. Ac tantò quidem magis egent defuncti nostris subsidijs, quantò iam minùs sibi subuenire possunt. Sunt enim certè ægra membra, dum Purgatorijs ignibus non secùs atq; ardentissima aliqua febri excruciantur. Et tamen nos, qui sanitate adhuc fruimur, his opem ferre non poterimus? Imò verò poterimus vel maximè, modò Apostolum audiamus, qui non rarò hoc argumento vtitur ad fidelium inter se communionem comprobandam.* Ad Rom. cap.12. 1.Cor.cap.12. Ad Ephes.cap.4.

LXXXIX. AT *inquiunt Aduersarij, iam illi sunt à nobis separati, nullum est nobis cum illis commertium, iam sunt constituti in termino. Ergo diuisus est* CHRISTVS? *Et Schisma est in ipsius corpore? Absit. Sed tametsi communi nobiscum vitæ consuetudine non vtantur, manent tamen eiusdem corporis membra; neq; enim per mortem abscissi sunt à corpore* CHRISTI, *quod est Ecclesia. Neq; rursus sunt in termino, vt isti comminiscuntur; sed peregrinantur adhuc à* DOMINO, *perinde atq; nos, licet dispari conditione.*

XC. SED *omnium maximè premit aduersarios celebris illa Iudæ Machabæi oblatio, pro ijs, qui ceciderunt in pugna; quam proinde insigni illo epiphonemate concludit Scriptura: Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. De quo testimo-* 2.Mach.cap.12.

nio sic ait D. August. In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium; sed si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, claret, inquit, hac consuetudine autoritas Ecclesiæ.

XCI. *PRÆTER communem hanc consuetudinem, qua, teste D. Augustino, Ecclesiæ claret autoritas, & præter allatas à nobis Scripturas, sunt non pauca sacrorum Conciliorum decreta, in quibus non obscurè, sed disertis planè verbis de suffragijs agitur, & simul etiam de modo ea offerendi. Ac* [a] *Carthaginense quidem IV.* [b] *Valentinian.* [c] *Agathense, in eos animaduerti iubent, qui suffragia & oblationes defunctorum non exequuntur. Concilium verò* [d] *Tolet. III.* [e] *Florent. ac* [f] *Trident. & approbant suffragia, & modum, quo illa peragenda sunt, docent.*

a Cap. 95. b Cap. 4. c Cap. 4. d Cap. 22. e In Initio Sess. 25. f Cap. 1.

XCII. *AB hac demum doctrina stant omnes sancti Patres, qui vel curæ defunctorum habendæ meminerunt, vel status animæ post hanc vitam. Et quamuis Patribus non credant sectarij, nisi quando eorum autoritatibus contra Catholicos abutuntur; libet tamen præter paulò antè citatos, ex multis paucos alios addere, vt omnes intelligant, quàm aliena fuerint à veneranda illa antiquitate, impia hæc & grata dæmoni placita sectariorum.* [a] *Dionysius Areopagita multa dicit de precibus, quæ fundebantur pro defunctis.* [b] *D. Chrysostomus: Non temerè, inquit, ab Apostolis sancitum est, vt in tremendis mysterijs, defunctorum agatur commemoratio. D. Ioannes Damascenus testatur, hanc consuetudinē fuisse inchoatam ab Apostolis, & CHRISTI discipulis, quos ait sanxisse, vt preces pro mortuis funderentur. Basilius, Gregorius, Nazianzenus, Athanasius, Gregorius Emyssenus, Augustinus, superiùs citati, idem testati sunt, quos afferre nimis longum esset.*

a De Eccle. Hier. cap. 7. ferè per totum. b In hora 69. ad Pop. Anthiochenum. c In serm. de his, qui in fide migrarunt.

In conclus. 32. & in cap. 3. de Purgatorio.

XCIII. *QVARE impudenter satis Heerbrandus suffragia præstigias appellat, fallacium dæmonum; perinde atq; si omnes, quos mille quingentis annis Spiritus sanctus posuit Pastores & Doctores regere Ecclesiam DEI, dæmonum præstigijs illusi fuissent; vnus autem Heerbrandus cum suo Luthero fraudem deprehendisset.*

In Disput. contra Purgator. prop. 8.

XCIV

XCIV. SED obijciunt noui isti correctores veteris disciplinæ: Legimus in sacris literis: Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Reddet vnicuiq; DEVS secundùm opera sua; vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit: Opera illorum sequuntur illos. At si viuentium suffragia prosunt defunctis, certè iam metunt, quæ non seminârunt, & reddit illis DEVS non secundùm opera eorum, sed aliorum, hoc est, viuentium. Ita homines acuti argumentantur; sed nondum nobis simplicibus persuadent. Primùm enim vt suprà meminimus, non inficiantur ipsi; neq; verò inficiari possunt, si vellent, viuentium alijs aliorum preces prodesse. Licebit ergo pari modo contra illos argumentari. Igitur non reddit DEVS vnicuique secundùm opera ipsius. Aut si hoc inde non efficitur; neque illud, quod ipsi aduersum nos concludunt. Ad Gal. capit. 6. Ad Rom. cap. 2. & Psalm. 61. 2. Cor. cap. 5. Apocal. cap. 14.

XCV. DEINDE Scriptura in illis locis, loquitur de præmio vitæ æternæ, quod vtiq; distribuit DEVS secundùm vniuscuiusq; opera & promerita. At quis vnquam Catholicorum contrarium somniauit? quis vnquam affirmauit, suffragia viuentium prodesse defunctis ad præmium vitæ vel ad augmentum gratiæ aut gloriæ? Sanctorum ergo Patrum doctrinam secuti dicimus, suffragijs pœnas illas temporales relaxari, quas animæ, quæ hîc non planè pro peccatis satisfecerant, in Purgatorio alioquin luere debebant. Sed quid hoc obsecro ad illud præmium? Deniq; nihil nouum aut magnum adferunt aduersarij. Iam pridem hoc idem sibi obiecit Augustinus, idem sibi Dionysius; neq; aliter quàm nos respondent. Cui etiam responsioni consonat D. Ioannes, qui quasi explicans, de qua siue retributione, siue messe loquantur ipse & Paulus: Et qui metit, inquit, congregat fructum in vitam æternam. Vt proinde luce clarius sit, loca illa tantùm intelligenda esse de præmio, vt vocant, essentiali, non item de pœnis peccato debitis, aut alia quauis mutua bonorum operum participatione; nisi fortè tollimus sanctorum communionem. Concil. Florent. & Concil. Trid. locis citatis. August in Ench. cap. 110. Dionys. de Eccle. Hier. cap. 7. Cap 4. Ad Gal. ca. 6.

XCVI. QVOD si adhuc vrgeat Hæreticus: DEVS non punit quemquam ob delicta alterius; neque igitur parcit vni pro-

pter opera alterius, quantumuis bona; quare neq; viuorum suffragia proderunt defunctis: Respondemus, falsum esse, quod sumit. Nam quis ignorat, ob scelera parentum plecti filios, ob Principum delicta subditos? Exod.cap.20. *Ego sum (inquit)* DOMINVS DEVS *fortis zelotes, visitans iniquitatem Patrum in Filios in tertiam & quartam generationem.* 1.Paralip.cap.21. *Quid? nónne ob peccatum Dauid perierunt vno die in Israël septuaginta millia virorum? Punit igitur* DEVS *alium ob alterius delicta.* Exod.cap.20. *Cur igitur non idem parcet ob benefacta? Faciens, inquit, misericordiam in millia his, qui diligunt me.*

CXVII. *AT, inquis, loca, quæ afferuntur, tantùm demonstrant, temporali pœna alium propter alium plecti. Quasi verò non item temporalis sit illa pœna, quam dicimus ob nostra opera defunctis condonari? Deinde neq; ea pura condonatio dicenda est, sed satisfactio; quòd enim vnus soluat pro altero, id non efficit, quin vera solutio sit, & satisfactio. Deniq; illa ipsa opera, quæ fiunt pro defunctis, non tam illorum dicenda sunt, qui ea offerunt, quàm eorum, pro quibus offeruntur. Sunt enim his ab illis liberaliter donata.*

XCVIII. NEQVE *Synodus Elibertina legitima Ecclesiæ suffragia prohibuit, sed damnauit abusus, qui irrepserant. Contra quos item eleganter* [a] *D. Augustinus: Si petas, vnde habeant defuncti, vt eis prosint suffragia viuorum? Optimè respondet* [b] *D. Augustinus his verbis: Decedentes in gratia, dum hîc viuerent, meruerunt post mortem iuuari suffragijs viuorum. Aut si viciniorem caussam desideras, ea erit communio charitatis, quæ nunquam excidit.*

a 1. de mor. Ec. cap.34.
b in Enchir. cap. 110. & habetur 13. q. 2. cap. Tempus.

XCIX. *AT in præsenti seculo, inquit D. Hieronymus, siue orationibus, siue consilijs inuicem posse nos adiuuari; cùm autem ante tribunal* CHRISTI *venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noë rogare posse pro quoquam. Sed hoc, nonnulli dicunt, de impœnitentibus accipiendũ esse, quales sunt qui moriuntur in hæresi. Potest etiam non incommodè intelligi de supremo iudicio, in quo post latam sententiam, nec preces, nec suffragia valebunt.*

In cap. 6. ad Gal. & refert. 13. q. 2. cap. In præsenti.

C. *Ex dictis constare arbitror, quamobrem ij non releuenter suffragiis, qui tartareis cruciatibus sunt addicti: Nã præterquàm quòd sunt in termino, deest illis etiam charitas, quæ radix est & fundamentum recipiendi fructum suffragiorum. Frustra illis à suis, inquit D. August. loquens de damnatis, huiusmodi pietatis officia impenduntur, cuius, dum hîc erant, pignore caruerunt. Neque rursum capaces sunt diuinæ misericordiæ; quippe quorum superbia ascendit semper. Ex quo fit, vt peccatum sit, pro damnatorum salute* DEVM *exorare.*

Serm. 32. de ver. Apostoli & serm. 41. de sanct. In Enchir. c. 67. & 68. De fide & oper. c. 14. 15. 16. De Ciuit. l. 22. ca. 21. & 26.

Psalm. 5.

CI. *IDEM prorsus iudicium est de paruulis, qui decedunt absque baptismo: Sunt enim adhuc filij iræ, & suo etiam modo* DEO *inimici. Noli credere nec dicere, inquit idem Augustinus, Sacrificia Christianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exierunt, offerenda, si vis esse Catholicus; quia nec illud, quod de Machabæorum libris commemorâsti sacrificium, pro iis, qui non circumcisi de corpore exierunt, ostendis oblatum.*

Lib. 3. de Anim. & eius orig. c. 12. Conc. Bracarense prim. cap. 35.

CII. *RVRSVS, cùm suffragia sint quædam auxilia, quibus viuentes Christiani defunctorum animabus subueniunt, ac pro earum pœnis* DEO *satisfaciunt; clarum etiam est, beatas animas illis non indigere; eas dico, quæ superato huius vitæ flexu, ad optatam metam iam peruenerunt: Nulla enim premuntur necessitate, cui suffragiis medendum sit. Vnde iniuria est (inquit D. Augustinus) orare pro Martyre, cuius nos debemus orationibus commendare.*

De verb. Apost. serm. 17. & refert. de celebr. miss. ca. cum Marthæ.

CIII. *RELIQVVM igitur est, vt suffragiorum fructum ij duntaxat percipiant, qui vel debita nondum hîc soluta, vel leuia peccata, humana infirmitate dum viuerent admissa (vt Dionysius Areopagita testatur) ibi soluenda ac purganda reseruârunt. Cui etiã D. August. consentit, qui non semel affirmat, iis tantùm suffragia prodesse, qui sunt mediocriter boni vel mali.*

De Eccle. Hierar. c. 7. in Theoria.

In Ench. cap. 110.

CIV. *SED nunquid pia opera defuncti impensa, depereunt penitùs, & nihil prosunt offerenti? Minimè; siquidem primario suffragiorum autori (quem ponimus* DEO *esse amicum) plus emolumenti*

lumenti ex illis accedit, quàm iis, quibus illa impenduntur: Ipsi enim (si obicem non posuerit) ratione meriti prosunt ad augendam gratiam & gloriam; defunctis verò non, nisi ratione satisfactionis, prosunt ad solutionem temporalis debiti. Accidit etiam non rarò, vt hæc ipsa satisfactio reflectatur & redeat in sinum suffragantis, cùm videlicet hi, quibus suffragia impenduntur, non ampliùs indigent. Psalm. 34.

CV. QVAMVIS praua ministri conditio vim suffragiorum non tollat; vt si pius Dominus alicui pauperi eleemosynam eroget per nequam seruum; tamen si minister, cui opus demandatur, vitæ sanctimonia & innocentia DEO fuerit probatus, opusque illud piè & sanctè exequatur, non dubium est, quin singularis inde valor operi accedat. Quod de iis tantùm suffragiis dictum volumus, quæ non sunt propria ministrorum: Dubium enim est, an ieiunia à sceleratis subditis, pij licet superioris iussu peracta, vim habeant releuandi defunctos.

CVI. DENIQVE, primum inter suffragia dignitatis ac valoris locum suo quasi iure sibi vendicat sanctissimum Sacrificium Altaris, secundum Eleemosyna, tertium Oratio. Quamuis, si aliquando ingens esset pauperum necessitas, eorum potiùs inopiæ consulendum esset, quàm vacandum orationi vel sacrificio.

CAPVT SEXTVM, DE STATV ET CONDITIONE ANIMARVM, QVÆ SVNT IN COELO EMPYREO.

CONCLVSIO CVII.

2. ad Tim. cap. 4. FELICES Animæ post certamina & cursum feliciter consummatum, in cœlo Empyreo coronam iustitiæ à DEO repositam

repositam incredibili gaudio ac gratiarum actione suscipiunt; ac vnaquæque in sua sede iuxta propria merita collocata, & corroborata lumine gloriæ, DEVM OPTIMVM MAXIMVM intuetur, non per speculum in ænigmate, non in similitudine procul; sed de facie ad faciem. 1. Cor. 13. Iob. cap. 36.

CVIII. NEQVE enim negandum est, diuinam essentiam à creatura rationali videri posse, propterea quòd sacra Scriptura 1. ad Tim. cap. 1. & cap. 6. vocet Regem seculorum inuisibilem, & lucem dicat habitare inaccessibilem. Est enim alia Scriptura, Matth. cap. 18. quæ dicit: Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Quòd si est, quæ dicat: Faciem meam videre non potes; est item altera, quæ dicit: Videbimus eum sicuti est. Quæ loca quia inter se minimè pugnant, expositione tantùm indigent. Igitur omnis ambiguitas tolletur, si dicamus, nullam creaturam solis naturæ viribus DEVM clarè intueri posse; gratia verò & DEI auxilio adiutam, posse. Gratia DEI (inquit Paulus Ad Rom. cap. 6.) vita æterna. Nec displicet asserere, cùm sacræ literæ negant nos DEVM videre posse, intelligendum esse vel de visione comprehensiua (vt vocant) vel pro præsentis vitæ caducæ & mortalis statu duntaxat. Non videbit enim me homo, inquit, & viuet. Exod. cap. 33. Ioan. cap. 3. Exod. cap. 33.

CIX. SVNT ergo omnes beatæ, vt diximus; sed in beatudine non omnes æquales. Qui parcè seminat, inquit Apostolus, parcè & metet. Quod etiam CHRISTVS indicauit, cùm dixit: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Omnes quoque totum DEVM apprehendunt quidem, sed nulla cōprehendit; non solùm quia DEVM Deiq; attributa non ea perfectione & claritate vident, qua ex se videri possunt; sed etiam quia omnes DEI perfectiones, atque attributa distinctè ac per modum resolutionis, vt dici solet, nulla cognoscit. Est enim diuina illa maiestas infinitum quoddam pelagus perfectionum; quare maiori etiam quàm finita virtute opus est, si quis vno intuitu, rem Concil. Florent. in prin. 1. Cor. cap. 9. Ioan. cap. 14. De Hieron. in 2. lib. contr. Ionianū D. August. in lib. de virginitate.

tu, rem simplicißimam in infinitas perfectiones distinguendo, omnes debeat distinctè apprehendere.

CX. *IGITVR quælibet illarum diuinam essentiam, tres personas & ea attributa distinctè videt, quæ in hac mortali vita per fidem in ænigmate à nobis cognoscuntur. Ex aliis verò DEI perfectionibus eò plures vnaquæque distinguit atque cognoscit, quò est beatior, ac illustrata maiori lumine.*

D.August. 11. De Ciuit. Dei cap. 7. & in 4. super Gen. ad literam ca. 23. facit duplicem cognitionem matu. & vesper.

CXI. *PRÆTER iam dicta multa etiam alia creata tum in seipsis tum in verbo, tanquam in lucidißimo speculo, à beatis illis mentibus cognoscuntur. Et vt certum est, nullam earum simul nosse omnia, quæ DEVS vel claro intuitu videt, vel cognoscit simplici intelligentia; ita dubium non est, eas omnia cognoscere, quæ ad se suumq; statum pertinent.*

Caluinus. Monemius. Artopæus.

CXII. *HINC est, quòd quidam ignorantes modum, quo nostræ orationes ac necesitates illis innotescerent, impudenter satis negârunt, eas orare pro nobis in cœlis, ac proinde nullam ipsis nobiscum esse communionem. Idcirco, inquiunt, DEVS subduxit mortuos è nostro conturbernio, vt nullum esset nobis cum illis commercium. Eò scilicet duxit maledicendi libido nouos istos Euangelicos, vt terras maledica lingua se turbâsse non contenti, in cœlum etiam posuerint os suum; sed quàm apposité, id nunc videamus.*

Psalm. 72.

CXIII. *INPRIMIS isti scindunt Ecclesiam DEI, & proinde loquuntur, atque si Ecclesia triumphans alia esset à militante, cùm minimè sit ita: Non enim digamus aut polygamus est CHRISTVS; vnà est sponsa eius Ecclesia, cuius tamen diuersi sunt status. Deinde si ratio illa, quam afferunt, quicquam valeret, pari modo isti nobis probarent, nec CHRISTVM esse à nobis inuocandum, nec illum in cœlis pro nobis patrem exorare. Nam si propterea, quia quispiam è nostro contubernio subductus est, idcirco mox neque ille pro nobis apud DEVM, neque nos apud illum supplicare debemus; cùm CHRISTVS item à nobis subductus sit, quomodo vel nos illum inuocabimus? vel ille pro nobis intercedet apud DEVM: Friuola ergo est argumen-*

argumentatio. Subducti sunt sancti è nostro contubernio: Igitur nihil nobis debet esse cum illis, neque illis nobiscum, commertij.

CXIV. Ac sanè sanctos hîc, dum viuerent, pro aliis orâsse, nemo est qui ambigat. Abraham orauit pro Abimelech, & exaudita est eius oratio. Imò quod maius est, amici Iob à DEO ipso mandatum acceperunt, vt redirent ad amicum Iob, eumq; rogarent, vt pro ipsis intercederet apud DEVM. Ac mox Scriptura subiunxit: Et suscepit DOMINVS faciem Iob. Quæro nunc ex iis, qui sanctorum preces floccipendunt, ac se illis minimè arbitrantur indigere, quid istorum sanctorum animos impellebat ad orandum pro nobis, dum hîc communem nobiscum vitam agerent? Charitas, dicent. Et rectè quidem: Nam charitatis ea est natura & conditio, vt oculorum alterum in DEVM, alterum propter DEVM in proximum figat. Cùm igitur beati illi spiritus eandem prorsus in cœlo charitatem ac multò etiam perfectiorem obtineant (charitas enim, vt inquit Apostolus, & nos suprà meminimus, nunquam excidit) cur non iam ardentiores pro nobis ad DEVM preces fundent? An fortè quæ inter miserias hîc se beneficam erga alios exhibebat, nunc perfecta in cœlo reddita, desidiosa aut obliuiosa est?

Genes. cap. 20. Iob. cap. 42. 1. Cor. cap. 13.

CXV. SED ait Oecolampadius, animas in cœlis à DEO nō exaudiri. Verùm hinc non rectè inferet, non eas etiam orare: Nam non exaudiri significat orationem fusam quidem, sed non consecutum effectū. Vnde oret necesse est, qui dici debeat non exaudiri. Sed esto, inferat quod voluerit, nō tam ille nobiscum pugnabit, quàm secū ipse; quippe qui in Disputatione cum Eckio habita, & alibi, sanctos pro nobis orare admittit: Nisi fortè excusandum putes, quòd non vno eodemq; loco ac tempore hæc inter se pugnantia scripserit; quemadmodum suprà, in nō multùm dissimili materia dicebamus Lutherum excusari à suis discipulis. Quod si admiserimus, mirum tamen profectò fuerit, Sanctos hîc in terris, dum inter spem & metum fluctuarent incerti de sua salute, exauditos fuisse; nunc cùm meliori sunt conditione, & in DEI amicitia stabiliti, non exaudiri, nihil impetrare.

In comment. super Isai. In Heluetia habita & in libro, qui inscribitur psegmata Chrysostomi. Suprà conclu. 27.

CXVI. AVDIANT quæso noui Vigilantiani, quid D. Hieronymus scribat aduersùs antiquum Vigilantium, ipsorum in hac hæresi Parentem & Præceptorem: Dicis, inquit, quòd, dum viuimus, mutuò orare possimus, postquàm autẽ mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris; quando de se adhuc debent esse solliciti, quantò magis post victorias, coronas & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à DOMINO veniam; & Stephanus imitator DOMINI sui, pro persecutoribus veniam deprecatur; & postquàm cum DOMINO esse cœperint, minùs valebunt? Paulus Apostolus ducentas sexaginta animas in naui sibi condonatas dicit; & postquàm resolutus esse cœperit cum CHRISTO, tunc ora clausurus est, & pro iis, qui ad suum Euangelium crediderunt, mutire poterit, meliorque Vigilantius canis viuens, quàm ille leo mortuus? Rectè hoc proponeres, si Paulum in Spiritu mortuum confiterer.

In lib. contr. Vigilantium.

Exod. cap. 32.

Actor. cap. 27.

Ecclesiast. ca. 12.

Iob. cap. 33.

CXVII. SI fuerit, inquit Scriptura, pro eo Angelus loquens, vnus de millibus, & annuntiet hominis æquitatem, miserebitur eius DEVS, & dicet: Libera eum, vt non descendat in corruptionem; inueni, in quo ei propitier: Et alius item Angelus orauit pro populo, qui erat in captiuitate. Et ne hoc solius Angeli munus videatur, Onias de Ieremia Propheta dixit Iudæ Machabæo: Hic est, qui multùm orat pro populo, & vniuersa sancta Ciuitate.

Zach. cap. 1.

2. Lib. Machab. cap. 12.

Ierem. cap. 15.

CXVIII. SI steterint, inquit alibi DEVS, Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum; & tamen hi tum non erant in viuis. Quare non obscurè significat, illos etiam solere coram se comparere, & pro alijs quandoque aliud impetrare. Nam si nunquam vel illi pro nobis intercederent, vel DEVS illos intercedentes exaudiret, ridiculè sanè hoc DEVS adduxisset, tanquam signum quoddam singularis odij aduersùs contumaces & impœnitentes Iudæos. Vnde pater, cùm Sanctorum animæ in limbo etiam & carcere existentes, orauerit pro viuentibus; quid nobis creden-

dum

dum sit fieri ab iisdem, felicem iam in cœlis vitam cum DEO ducentibus?

CXIX. SAPIENTIORES quidam ex nouatoribus, vt sibi videntur: Non orant, inquiunt, pro nobis Sancti in cœlis; quoniam cernentes, CHRISTVM ad DEVM accedere, ac pro nobis interpellare, iniuriam CHRISTO irrogarent, si partes suas ad orandum pro nobis interponerent; perinde quasi CHRISTI preces per se non essent sufficientes. Sed næ hi intelligendo faciunt, vt nihil intelligant. Nunquid enim D. Paulus in terris degens, ignorabat, CHRISTVM in cœlis interpellare pro nobis, ac eiusdem preces esse sufficientes? Cur ergo suas quoq; orationes interponebat? Quòd si, cùm hîc nostras cum CHRISTI precibus coniungimus, nõ facimus CHRISTO iniuriam; certè neque si illi suas coniungant in cœlis. Longè ergo rectiùs isti cõclusissent: CHRISTVS caput orat pro nobis; igitur & Sancti; decet enim membra concordare cum capite. Ad Hebr. cap. 7. & 1. Ioan. cap. 2.

CXX. NON est credendum (vt de quibusdam refert D. Augustinus) tunc Sanctos viscera misericordiæ amissuros, cùm fuerint plenissimæ & perfectissimæ sanctitatis, vt qui tunc etiam orabant pro inimicis, cùm ipsi sine peccato non erant. Et Origenes: Omnes Sancti, inquit, qui ex hac vita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga nos, si dicatur iuuare nos precibus suis atq; interuentu apud DEVM, non est inconueniens. Scriptum est enim in libris Machabæorum de Ieremia, quòd semper oret pro populo. Lib. 21. de Ciuit. Dei, capit. 18. & Serm. 18. de Sanctis. Similia scribit de Beatiss. Virg. Homil. 3. in cant. 2. Lib. Machab. cap. 12.

CXXI. CONCEDVNT ergo tandem iuniores nostri temporis hæretici, & ingenuè fatentur. Sanctos cum CHRISTO regnantes in cœlis pro nobis orare. An prudentiùs, quàm ipsorum Præceptores, qui hoc Catholicis initio vel apertè negabant, vel timidè & subobscuris verbis concedebant, iudicent alij. Negârunt certè olim Eustachius, & Vigilantius, Hieronymo teste, & alij. Cont. Vigilant.

CXXII. LVTHERVS verò antiquarum hæresum hæres, qui hanc etiam iam sæpe in Ecclesia sepultam, tanquam non postremam hæreditatis suæ partem exhumauit, ex parte concessit, negauit ex

parte; concessit Sanctos orare, negauit orare pro particularibus personis, sed generatim tantùm pro Ecclesia. Oecolampadius non lubens quidem, sed argumentis in disputatione victus cõcessit pro nobis orare. Brentius & alij liberiùs hanc veritatem confitentur. Omnes tamen vno ore vociferantur, Sanctos, posteaquàm ex hac luce migrârunt, nullo pacto esse à nobis vel venerandos vel inuocandos; quàm verè, quàm conuenienter sacræ Scripturæ, sanctißimis Patribus & ipsi denique rationi, statim ostendam, si priùs Proteum illum, de quo dicere cœperam; in diuersa transformatum, spectandum & contemplandum omnibus proposuero.

Habita in Heluetia.

In Apologia confess. sui Principis pericop. 3.

In Disput. de Inuoc. Sanct. habita Tubingæ, conclus. 26.

In Lib. de decem Præcept.

CXXIII. LVTHERVS *ergo agens contra VValdenses seu Picardos, quòd Germanis affingerent idololatriam propter cultũ et venerationẽ Sanctorum, & q loca Scripturæ, quibus vnus* DEVS *adorari iubetur, insulsè pro se allegarent, vocat eos impios scripturæ peruersores & subdolos calumniatores nostræ pietatis. Tum addit: Omnes Sancti omnia possunt, & tantũ tibi per eos à* DEO *datur, quantum credis te accepturum. Rursus in concione quadam, quam edidit de præparatione ad mortem; hortatur ægrum, vt inuocet omnes Angelos præcipuè tutelarem;* CHRISTI *item Matrem, Apostolos & Sanctos omnes, eos præsertim, erga quos specialem sentiat animi pietatem. At non diu pòst longè aliter sensit, cùm viuentes quidem Sãctos comparauit gemmis, mortuos verò idolis & lignis. Dicet fortè Heerbrandus, necdum ei nouam illam lucem affulsisse, cùm priora illa scriberet. At si ita est, cur in concione funebri, quam decimotertio anno ante obitum habuit, probans, quàm pretiosa sit in conspectu* DOMINI *mors Sanctorum eius, ait;* DEVM *maiori in pretio habere Sanctos vita functos, quàm in carne degentes? Nónne ista & sensit, & dixit iam illuminatus? Sed ad rem veniamus.*

Defunct. Sax. Surius in sua histo. Anno. 1533.

CXXIV. CVM *concedant aduersarij, beatos in cœlis pro nobis orare, asserimus nos vicißim, vel potiùs vniuersa asserit Catholica Ecclesia, esse à nobis & venerandos & honorandos. Neque hoc puto à quoquam absque extremæ dementiæ nota posse negari.*

Nam

Nam vel credunt nouatores, eos regnare cum CHRISTO in cœlis, vel non credunt. Si non credunt, non igitur deinceps clament, Scripturas, Scripturas: Siquidem hac in parte satis ostendunt, se esse infideles, & ne Scripturis quidem credere. Sin autem credunt: Sanctos in cœlos degere cum CHRISTO, non tamen à nobis esse venerandos; quid magis admirer nescio, stultitiámne ipsorum, an imperitiam, vel potiùs vtrunq. Certè in terris non seruos modò & mancipia, sed ipsos etiam canes terrenorum Principum magnifacimus, & eo solùm nomine, quia Principum sunt, tractamus reuerentiùs; & filiorum ac hæredum DEI, cohæredum CHRISTI nulla erit habenda ratio? nullus honor illis impendendus? quis ferat? An quia admißi in consortium Angelorum, adepti sunt repromißionem, & coronati triumphant in cœlis, idcirco priuandi sunt omni honore & cultu?

CXXV. RESPONDENT Euangelici: Stat firma sententia Pauli, vt extra hanc vitam soli DEO detur honor & gloria; & ne verbulum quidem de honore Sanctis exhibendo. Verùm Paulus non dicit: Extra hanc vitam; sed absolutè, nullum vel locum vel tempus excludens: Soli DEO honor & gloria. Quare si eius verba tam rigidè & preßè accipere velimus, vt isti faciunt, iam nulli omnino præter DEVM, erit honor exhibendus. Dicit enim: Soli. Quod si ita est, cur idem Paulus alio loco scribit: Gloria & honor & pax omni operanti bonum? Cur, quod maius est, DEVS iubet honorari parentes? Aliùs igitur honor DEO debetur, alius Sanctis, alius Principibus: DEO quidem singularis & summus, vt communi omnium Creatori & Redemptori; proximus, Sanctis tanquam DEI amicis, & ijs, qui facti sunt diuinæ consortes naturæ; tum demum Principibus quoq, & Maioribus suus est exhibendus, tanquam potestatem nactis à DEO. Vnde vt frustra timent sectarij, ne CHRISTO debitum honorem adscribamus Sanctis; ita neq, ipsi id nobis adscribant; quod tamen alicubi facere videntur.

1. Ad Tim. cap. 1.
Ad Rom. cap. 2.
Exod. cap. 20.
2. Petr. cap. 1.
Ad Rom. cap. 13.
In Disputa. de innocen. Sanct. conclus. 74. Tubingæ habita.

CXXVI. MIHI autem, inquit Dauid, nimis honorificati sunt amici tui DEVS, nimis confortatus est principatus eorum. Qui obse- Psalm. 138.

Ioan.cap. 15. obsecro sunt isti amici? Nónne Martyres, qui animam suam posuerunt pro amico CHRISTO? Nónne Apostoli, quibus ipse CHRISTVS dixit: Iam non dicam vos seruos, sed amicos? Nunquid autem desierunt esse amici, quia coniuncti sunt cum DEO in cœlis? Non arbitror: Dicant ergo quæso aduersarij, quomodo honorificati sunt ab ipsis, qui imagines eorum confregerunt, festa sustulerunt, & quotidie adhuc eorum memoriam è mentibus hominum delere conantur? DEVS bone, quàm dispares isti sunt nostris maioribus, sanctißimis & doctißimis viris, Augustino, Basilio, Ambrosio, Gregorio, qui festos Sanctorum dies agentes, ipsimet eorum laudes publicis ad populum Sermonibus celebrârunt! Dignißimi profectò, & omni exceptione maiores testes nobis futuri, coram tremendo illo iudice, nouæ nouorum hominum impietatis.

Ioan.cap.12. CXXVII. SI quis mihi ministrauerit, ait CHRISTVS, honorificabit eum Pater meus. Æquum igitur fuerit, vt nos illos veneremur in terris: Rursus Paulo Ecclesiam persequenti dictum est à DOMINO: Saule, Saule, quid me persequeris? Et de Apostolis dicebat CHRISTVS: Qui vos spernit, me spernit. Ex quibus mox manifestum euadit, quòd quemadmodum Sanctos & amicos DEI persequi, est, DEI amicitiam violare; ita eosdem venerari, est DEVM honorare. Gloriosus DEVS, inquit Dauid, in Sanctis suis. Toto igitur cœlo aberrant, qui Sanctis cum CHRISTO regnantibus honorem & venerationem negant; neq; minùs errant, quàm si negarent DEO ipsi. Vtrùm verò cultus, qui Sanctis exhibetur, adoratio dicatur, vel veneratio solùm, nihil laboro: Vtrouis enim nomine appelletur, certum est, nos eundem cultum non exhibere DEO & Sanctis.

Actor.cap.9. Luc.cap. 10. Psalm. 67.

CXXVIII. ADVERSARII hoc portu exclusi, aliò se conferunt, & quicquid sit, inquiunt, de veneratione Sanctis exhibenda; hoc vnum certißimum est, illos non esse à nobis inuocandos. Verùm hoc non magis certum est, quàm reliqua duo iam à nobis confutata, Sanctos scilicet non orare pro nobis, neque esse à nobis venerandos. Nunc hoc tertium videamus. Ac inprimis quidem illud pona-

ponatur, Catholicos non inuocare Sanctos, vt omnem spem & fiduciam suam in illis collocent, quasi putent, eos per se posse concedere, quod petitur; hoc enim modo vnus DEVS est orandus. Sed oramus Sanctos, vt pro nobis intercedant, & à DEO, in quo spes nostra ac fiducia tanquam in vero fundamento sita est, petant id, quod assequi cupimus. Bonum est atq; vtile, inquit Concilium Tridentinum, suppliciter Sanctos inuocare, & ob beneficia impetranda à DEO, per filium eius IESVM CHRISTVM DOMINVM nostrum, qui solus noster Redemptor & Saluator est, ad eorum orationes, opem auxiliumq; confugere. Sess.22. cap.3. & Sess.25. cap.2.

CXXIX. HÆC mens & sententia est & fuit semper Catholicæ Ecclesiæ, quicquid non minùs imperitè quàm impiè & mendaciter asserant Lutherani, Pontificios scilicet plùs fidei collocare in Diuos, quàm in DEVM; ac derelicto fonte aquæ viuæ, cisternas, quæ aquam non continent, homines sibi effodere. Ecclesia certè nunquam ita sensit. Eiusmodi verò si qui essent, profectò nec Catholici, nec Pontificij essent. In Disput. de Inuoc. Sanct. conclus.12. Ierem. cap.2.

CXXX. ATQVE hoc, quod Ecclesiam sentire dicimus, sensit etiam & docuit Propheta ille regius, cum aiebat: Leuaui oculos meos in montes; vnde veniet auxilium meum? Per montes autem intelligit Sanctos, teste D. August. Et ne quis deciperetur, expectans auxilium à Sanctis, quasi à primario fonte, subiunxit: Auxilium meum à DOMINO, qui fecit cœlum & terram. Quam Prophetæ sententiam optimè exponens D. Augustinus: Noli putare, inquit, quòd ipsi montes tibi dabunt auxilium; accipiunt enim, quod dent, non de suo dant. Atque hanc esse mentem totius Ecclesiæ Catholicæ, cùm Sanctos inuocandos esse docet, fidem faciunt preces, (quas Litanias vocamus) in quibus cùm DEVM Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum inuocamus, dicimus: Miserere nobis; cùm verò beatissimam Virginem, vel B. Ioannem, vel alium quempiam ex Sanctis: Ora pro nobis. Fuit autem in Ecclesia Catholica hæc precandi formula ante mille ferè annos: Vt profectò impudentiæ suæ Psalm.120. Psalm.120.

meritò

meritò pudere debeat eos, qui Sanctos eodem modo à nobis inuocari fingunt, ac DEVM.

CXXXI. *HOC ita posito, concedunt aduersarij, licere nobis inuocare Sanctos, dum hîc nobiscum viuunt; cùm verò discedunt à nobis & viuunt cum* CHRISTO, *non licere. Quod, quia etiam ipsimet aduertunt, cum ratione pugnare, vt scilicet Sancti, dum hîc mortalem vitam agunt, multis calamitatibus & ærumnis impliciti, atq; adeò aliorum opis egentes, poßint à nobis licitè inuocari, & inuocati opem ferre; in cælum autem euecti, immortales, immaculati, & extra omnem egestatem constituti,* DEO *gratißimi & coniunctißimi, neq; inuocari licitè poßint, neq; inuocantibus præstò esse; id, inquam, quia vident cum ratione pugnare, ita duntaxat tueri conantur, vt dicant, illud ex Scriptura haberi; hoc non item. Qua in re præterquàm quòd in forma argumentandi suo more turpißimè labuntur, (argumentum enim ab auctoritate negatiuè nullius est momenti; nôrunt hoc etiam Logici) satis ostendunt, quàm parùm sint in Scriptura versati; vt non multò pòst patebit, cùm sanctarum literarum loca in medium proferemus.*

Oecolampadius conclus. 3. Disput. Heluet. Brentius in Apolog. sui Principis. De Inuoc. Sanct. conc. 16. Tubingæ hab ta.

CXXXIII. NVNC *tantùm velim scire ex ijs, qui concedunt, Sanctos in cælis pro nobis orare (concedunt autem, vt antè dicebamus, ex recentioribus plerique) cur, si illi vltrò nobis suas Orationes elargiuntur, non liceat nobis eas petere? Respondet grauis autor Heerbrandus: Quia Scriptura, inquit, hoc prohibet; sed vbi quæso prohibet? In ijs locis, inquit, vbi iubet: Non habebis* DEOS *alienos. Verùm nisi aliud afferat, inane est hoc, neque erat opus Hieronymi & Augustini testimonium in medium afferre, qui aiunt, Martyres non esse adorandos vt* DEVM. *Iampridem hoc sciebamus, & sciunt ipsi quoque Lutheri discipuli, nihil tale vnquam ab Ecclesia tributum esse Sanctis; quamuis reclamante conscientia, contradicendi libidine stimulati dicant, Pontificios innumeram sibi Deorum Dearumq; turbam fabricari; nihil tale ipsi vnquam à Catholicis factitatum legerunt, aut si legerunt, proferant. Nos certè illis Concilij*

Concio. 18. 27. & 28. vbi supra.

Tridentini

Tridentini verba, præter ea, quæ paulò antè ex eodem & ex Diuo Augustino adduximus, proferemus, quibus Ecclesia apertè declarat, quid DEO, *quid idem Sanctis impendat.*

CXXXIII. ET *quamuis (inquit Concil. Trident.) in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueuerit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed* DEO *soli, qui illos coronauit. Unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi Sacrificium Petre vel Paule; sed* DEO *de illorũ victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Hactenus Concilium. Quare non tam sumus nos fabricatores falsorum* DEORUM *(neque enim Sanctos vt* DEOS *inuocamus) quàm ipsi mendaciorum sunt architecti, qui impudentissimè nobis affingunt, quod neq; ipsi, neq; totus Euangelicorum grex vnquam poterunt probare.* Sess.22.cap.3.

CXXXIV. LIQUET *hinc Sanctorum inuocationem sacris literis minimè prohiberi. Videndum restat, an etiam sacrarum literarum dictis & exemplis confirmetur, vt curiosis hominibus satisfaciamus, qui nihil recipere volunt, cuius non aliquod vestigium extet in sacris literis. Primùm ergo in sacra Genesi legimus, sanctum Patriarcham Iacob benedicentem nepotibus in hæc verba fuisse locutum: Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum, Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram. At hi duo mortui erant. Oecolampadius, à quo nouitij hæretici acceperunt, hunc locum ita torquet, vt dicat, in veteri lege nomen alicuius super aliquo inuocari nihil aliud esse, quàm aliquem eiusdem esse cum altero generationis ac nominis: Ita videre est, inquit, apud Isaiam, vbi septem mulieres, quæ vnum apprehenderant virum: Tantùm, aiunt, nomen tuum inuocetur super nos, id est, sis vir noster, & nominemur tuo nomine. Similiter apud Ieremiam: O* DOMINE *in medio es nostrî, & nomen tuum inuocatum est super nos; hoc est, inquit ille, nominamur tuo nomine, & dicimur populus* DEI.

Genes.48. In Disput.in Helv. habita, conclu.3. Isai.cap.4. Ierem.cap.14.

CXXXV. *ITA quidem Oecolampadius aliquid comminiscitur, ne Sanctorum inuocationem admittere cogatur. Sed primùm temerarium & falsum planè est, quod dicit inuocari nomen alicuius super aliquo, tantùm significare, commune cum alio habere nomen & stirpem.* Genes. cap. 4. *De Enos refert Scriptura, quòd cœperit inuocare nomen* DOMINI; *quamobrem etiam laudat illum. Dicant nunc hæredes Oecocampadij, quid ibi significet inuocare nomen* DOMINI; *esse de eadem gente, an implorare eius auxilium?* Genes. cap. 12. *Abraham, inquit Scriptura, ædificauit Altare* DOMINO, *& inuocauit nomen eius. Nónne hoc ad orationem spectat? Cur ergo audent isti in vniuersum affirmare, in veteri Testamento inuocare nomen alicuius super aliquo, esse tantùm, habere idem nomen, & esse eiusdem cognationis & sanguinis? Deinde, etiamsi alibi ea phrasi significaretur id, quod dicit Oecolampadius; an propterea statim sequitur, etiam hoc in loco idem significari?*

In tertio Tomo lectio. de Genes. lib. 1. cap. 200. CXXXVI. *RVRSVS, quid caussæ est, cur potiùs claudæ huic Oecolampadij interpretationi credere debeamus, quàm illi Augustini, qui de Inuocatione Sanctorum exponit? Taceo quòd ne, si velimus quidem, Oecolampadij interpretationi credere, possimus; repugnat enim manifestè contextui.*

Genes. cap. 48. CXXXVII. *VOLENS enim Iacob benedicere nepotibus filijs Ioseph, ita incipit:* DEVS, *in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei Abraham & Isaac;* DEVS, *qui pascit me à iuuentute mea vsque in præsentem diem; Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum, Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram. Inquit Oecolampadius: Hæc omnia eò tendunt, vt significetur, hos pueros esse eiusdem generationis cum Abraham & Isaac. Atque hanc expositionem scilicet, & inuocant & adorant eius discipuli. Quis verò est obsecro vel mediocriter in Grammatica eruditus, qui non cognoscat, verba illa Iacob precationem fuisse; in qua priùs* DEVM, *deinde Angelum, tertio loco sanctos Patriarchas*

archas inuocat, ad impetrandum nepotibus benedictionum cœlestem. Igitur inuocatio Abraham ad orationem spectat, quod Oecolampadius negat. Adde quòd pueri illi iam erant de stirpe & progenie Iacob: Frustra igitur id à DEO petijsset. Aut si nihilominus hoc voluisset, quorsum illa manuum transpositio? quorsum inuocatio DEI & Angelorum.

CXXXVIII. VERVM, demus Oecolampadio, quidquid vult, (vt videant Lutheri discipuli, nullam hîc posse esse tergiuersationem) certè Iacob ad benedicendum pueris non tantùm inuocat DEVM, & Patriarchas illos defunctos, sed etiam Angelum. Ergo etiamsi velit tegere inuocationem Sanctorum; hanc tamen Angeli nullo modo potest. Quare Philippus Melanchton in libello de Bauaricis articulis edito VVittenbergæ, quem noluit esse vltimum suæ fidei testamentum, ingenuè fatetur, nescire se diluere hunc locum Geneseos, vbi Iacob inuocat Angelum.

CXXXIX. AZARIAS, dum esset in fornace, orans dixit: Ne quæsumus tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum, neq; auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum; peto nunc ab hæreticis in hac Azariæ oratione, illud, propter nomen tuum, éstne inuocatio? Est, inquiunt, neq; enim negare possunt. Ergo pari modo cùm dicit: Propter Abraham, Isaac & Israël; inuocat illos offerendo DEO eorum merita. Daniel. cap. 3.

CXL. DEVS dedit nobis tutelarem Angelum. Licebit igitur illum inuocare in tutelam, & vt nobis aliquid apud DEVM procuret, vt Lutherus ipse ægris aliquando consuluit. Quòd si hoc licet, cùm nusquã sit prohibitum, & si eo ipso, quòd DEVS dedit illum nobis custodem, habemus ius ad illum accedendi; quare non licebit etiam accedere ad alios Sanctos, qui etsi non sunt protectores & custodes vt Angeli; constituit tamen eos DEVS Principes super omnem terram: Orant etiam pro nobis, & sunt studiosissimi nostræ salutis. De præparat. ad mortem. Psalm. 44.

CXLI. ADHÆC dant nobis aduersarij, plurima sæpe miracula patrata fuisse ad Martyrum aliorumque Sanctorum sepulchra; D. August. in 22. De Ciuitate Dei a cap. 8. per multa.

quod item sanctissimi quiq; Patres innumeris ijsq; clarissimis exemplis confirmant. Addunt etiam ijdem aduersarij, huiusmodi miracula à DEO, *non à Sanctis edita fuisse. Neque nos hoc reprehendimus, aut aliud dicimus. Verùm nō aduertunt incauti, hoc ipso statim euinci, Sanctorum inuocationem* DEO *gratam esse. Nam si Sancti perperàm, vt ipsi aiunt, ab hominibus inuocantur: Igitur* DEVS *illorum miraculorum auctor, in hoc errore fideles suos confirmaret; quippe qui ad eorum inuocationem ederet miracula; quod cogitare nefas sit.*

CXLII. *Pro hac Catholicorum Orthodoxa sententia est antiquissima consuetudo à plurimis Concilijs olim approbata, & à sanctissimis Patribus recepta. Litania, quæ nihil aliud est, quàm* DEI *& Sanctorum inuocatio, vsitata est in Ecclesia* CHRISTI *à multis seculis, & approbata à Concilio* [a] *Aurelianensi primo, à* [b] *Gerogensi, à* [c] *Toletano quinto &* [d] *sexto, à* [e] *Bracarensi secundo.* [f] *Sexta Synodus ad Sanctorum inuocationem hortatur.* [g] *Septima quoq; nonnulla dicit de inuocatione beatissimæ Virginis* MARIÆ, *quæ etiam confirmantur à* [h] *Synodo Chalcedonensi.*

a Cap. 23. b Cap. 3. c Cap. 1. d Cap. 2. e Cap. 9. f Cap. 7. g Acto. 6. h Actor. 11.

In Dispu. Tubingæ habita. De Inuoc. Sanct. conclu. 37 38. & 39. In Epistol. ad Ian. 118.

CXLIII. CONCEDVNT *hanc consuetudinem aduersarij; sed aiunt ex errore cœpisse, nec obseruandam esse; quoniam* CHRISTVS *non dixit: Ego sum consuetudo; sed: Ego sum veritas. Acuta, si dijs placet, probatio. Non sic ratiocinatur D. Aug. sed insolentissimæ, inquit, insaniæ genus est, de eo, quod per orbem frequentat Ecclesia, disputare. At tunc demum ipsi meritò consuetudinē damnarent, si Scripturam afferrent, qua ostenderent, eam cum diuina lege pugnare.*

CXLIV. *At inquiunt: Neque vos expressum noui Testamenti locum proferre potestis, quo ostendatis, Sanctos posse à nobis inuocari. At proferimus ex veteri, cùm Iacob ad benedicendum pueris inuocauit Angelum. In nouo verò hæc veritas ex ijs locis colligitur, in quibus asseritur Sanctos orare pro nobis in cœlis, esse à nobis honorandos, esse* DEO *amicissimos & gratissimos; denique in hac vita potuisse inuocari. Sed esto nullus Scripturæ locus inueniatur; consuetudo certè, vbi non est in contrarium Scriptura, valet &*

Genes. 84.

let & est irrefragabilis autoritatis, cùm non sit vnius vel alterius prouinciæ, sed totius orbis; non ab vno aut altero Concilio, sed omni ætate & tempore ab Oecumenicis Conciliis approbata & recepta.

CXLV. AGE verò neque sit consuetudo Ecclesiæ; certè noui isti dogmatistæ nullum habent fundamẽtum, quo negent Sanctorum inuocationem. Vnicum illorum refugium est, Sanctorum inuocationem non esse in Scripturis expressam; quare nec recipiendam ab Ecclesia. Quod verißimum esset, si omnia, quæ ad Ecclesiam spectant, Scripturis essent expressa: At non sunt, vt Ioannes testatur, cùm inquit; Si scribantur per singula, quæ fecit IESVS, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Quare tametsi apta sit ratiocinatio: Hoc est Scripturis prohibitum; non igitur asserendum: non tamen licebit arguere: Hoc non est in Scripturis expressum; ergo neque est ex CHRISTI voluntate. Siquidem CHRISTI voluntas non per Scripturas tantùm nobis innotescit, sed etiam per Ecclesiam, de qua ipsemet dixit: Dic Ecclesiæ; si Ecclesiã non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Mens igitur Ecclesiæ est mens CHRISTI. Idem de Patribus dicendum est, & sanctis Doctoribus, quos CHRISTVS posuit, velut mentis suæ interpretes, ad quos spectat illud: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.

In fine sui Euangelij.

Matth. cap. 18.

Luc. cap. 10.

CXLVI. SED retundenda est calumnia quædam Heerbrandi, qui: Etsi, inquit, Patres in ea fuerint sententia, vt Sancti inuocarentur; aliqui tamen illorum acriter initio restiterunt, vt Epiphanius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus vsque ad Basilium ferè Magnum. Ita Lutheri Discipuli sunt veritatis studiosi, vt Patribus affingant, quæcunque volunt: Interim, si Patres peruoluas, nihil eorum omnino reperies. Quod vt in præsenti materia clariùs constet, eosdem Patres in medium proferemus, quos ille dicit acriter initio restitisse.

In Disput. de Inuocat. Sanct. concl. 33. & 34.

CXLVII. [a] EPIPHANIVS igitur apertè docet, Sanctos honorandos quidem esse, sed non illis offerendum sacrificium, vt Collyridiani faciebant; quod etiam nos antea ex Concilio Tridentino

a Lib. 3. Tom. 2. hære. 78. contra Antidicomarianitas. Et hær. 97. in Collyridianos.

proba-

probauimus [a] *Ambrosius tractans illud Euangelij, cùm Apostoli rogârunt pro socru Petri: Adhibeat, inquit, ad medicum alios precatores. Et infrà: Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cùm viuerent, cognouerunt: Alibi quoque similia scribit.* [b] *Chrysostomus Omnia sunt, inquit, gloriosa in te, DEI genetrix, ipsi supplica, vt animas nostras saluet. Et rursus: Cœlestis militiæ Princeps Michaël rogamus te, vt tuis intercessionibus nos munias, &c. Et alibi: Pater Nicolaë fungere legatione apud CHRISTVM DEVM, vt animæ nostræ salutem consequantur.* [c] *Augustinus sexcentis in locis Sanctos inuocandos docet: Non sic Martyres, inquit, commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis vt orent ipsi pro nobis. Et alibi: Vos qui meruistis consortes fieri supernorum ciuium, orate pro me ad DOMINVM, vt educat me de isto carcere, in quo teneor captiuus & ligatus.* [d] *Cyrillus denique tum alibi tum in catechesibus idem confirmat, & loquens de sacrificio Missæ: Mentionem, inquit, facimus Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, vt DEVS orationibus illorum suscipiat preces nostras. Hi sunt, quos homo ille lepidus ait initio restitisse.*

[a] Lib. de viduis, In Oratione funebri de obit. fratris sui & de obit. Theodos. & Ser. 77. & Serm. 91.

[b] In Liturgia, in Orat. ad D. Virg. & ad S. Michaelem. Ad S. Nicolaum.

[c] In Ioan. Tract. 84. Et lib. 20. contra Faust. cap. 21 de Spirit. & Anim. cap. 59.

[d] Catechef. 5. & 14. & 16.

CXLVIII. PRÆTER *hos Gregorius Nanzianzenus: Tu autem, inquit, Basili sacrum & diuinum caput, ex alto nos respice, & carnis stimulum aut tuis siste precibus, aut fortiter me ferre persuade. Hieronymus: Vale, inquit, ô Paula, & cultoris senectam orationibus tuis iuua. Origenes: O beate Iob, inquit, viuens in perpetuum apud DEVM, & victor permanens, in conspectu Regis DOMINI, ora pro nobis miseris. Et alibi: Tu Pater Abraham deprecare pro me, ne de finibus tuis alienor. Plures afferre possem, sed superuacaneum puto. Nam si Pontificij, ait quidam ex aduersarijs, non sexaginta septem solùm, sed sexagies septem, aut si malunt sex millia Patrum, Episcoporum, Abbatum, Monachorum & Monialium testimonia proferant, nihil inde probabunt sine sacra Scriptura,*

In Oratio. D. Basil.

In Epitaph. Paulæ.

Lib. 2. in Iob.

In Lament.

In Dispu. Tubingæ habita contra Purgator. propos. 118. & 119.

ra, &c

ra, ex qua quicquid non probatur, eadem facilitate cõtemnitur. Hæc ille homo superbus, perinde, ac si solus Scripturas intelligeret, & melius quàm citati Patres, qui totos suæ vitæ annos in Scriptura insumpserunt.

CXLIX. FINEM faciemus, si priùs nonnulla ex iis, quæ à diuersis ad Sanctorum inuocationem conuellendam obijciuntur, confutauerimus. Ac initio quidem sic aliqui ratiocinantur: Animæ separatæ non cognoscunt, quæ hîc aguntur, iuxta illud: Abraham nesciuit nos, &c. Frustra igitur à nobis inuocantur. Verùm facilè concedimus, si animarum naturam & naturales vires spectes, nihil eorum scire posse, quæ hîc aguntur; sed diuinitùs illustratæ cur non possint, dum vel in Verbo tanquam in speculo res nostras intuentur, vel cognoscunt per reuelationes? Dicant obsecro, qui tantùm tribuunt huic suæ ratiocinationi; pœnitentia & dolor de peccatis interiori animo conceptus, nónne secretissimus est? Et tamen eum Angeli DEI beneficio cognoscunt. Nam, vt DOMINVS testatur, gaudent super vno peccatore pœnitentiam agente. Gaudium autem sequitur cognitionem rei, de qua gaudemus. Quid? si Gabrieli Danielis oratio perspecta non fuit, quomodo eam commendat? Et si Raphaël non cognouit Tobiæ preces, quomodo eas DOMINO præsentauit?

4. Reg. 22. Isai. cap. 63. Iob. cap. 14. Luc. cap. 15. Daniel. cap. 10. Tob. cap. 12.

CL. FORTASSE dicet quispiam, in Angelos & beatos hæc quadrare quidem; non item in Patres veteris testamenti constitutos in limbo, vbi diuinam essentiam minimè intuebantur. Primùm quod ad illos Patres attinet, nihil facit ad rem præsentem; de Sanctis enim nunc agimus, qui DEI conspectu perfruuntur. Deinde, Si DEVS Prophetis adhuc in carne viuentibus longè pòst futura reuelauit, & aliquando etiam, quæ sunt alterius seculi; cur non iisdem existentibus in limbo reuelare potuit, quæ hîc agebantur? Postremò si Patres illi res suorum ignorauerunt, quomodo de Ieremia dictum est? Hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta Ciuitate. Quomodo Onias ipse, cuius hæc verba sunt, Iudæ Machabæi

2. Mach. cap. 15.

Machabæi statum agnouit? Cùm igitur Scriptura dicit, defunctos non cognoscere, quæ hîc aguntur, intelligendum tantùm est de vi cognoscendi naturali.

CLI. *ALII rursus, ac ferè omnes vno ore contra nos vociferantur: Vnus est mediator DEI & hominum CHRISTVS IESVS. Cur igitur detrahitis CHRISTO? Cur plures mediatores constituitis? Facilè respondent Catholici, Apostolum tantùm loqui de mediatore redemptionis; quod vel inde manifestè conuincitur, quòd statim subnectit: Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Tum demum ergo Paulo repugnaremus, si diceremus, plures esse mediatores, qui se dedissent redemptionem pro omnibus. At dicimus, vnum talem esse CHRISTVM IESVM; plures intercessionis, de quibus Paulus non loquitur. Et huiusmodi posse esse plures, constat ex Scriptura. Paulus ipse huiusmodi mediatorem se constituit inter DEVM & Israëlitas suos: Huiusmodi mediatores inter se & DEVM facit Thessalonicenses & Romanos: Huiusmodi vult nos omnes esse inter DEVM, & eos, qui sunt in sublimitate constituti. Dicant nunc hæretici Paulo, cur, cùm docuerit vnum esse mediatorem CHRISTVM IESVM, hoc tam potenti aduocato relicto, à peccatoribus orationis opem exposcat, qui vix seipsos iuuare possunt. Quòd si hi siue mediatores siue intercessores in terris, nihil derogant mediatori CHRISTO, certè neque Sanctorum intercessio in cœlis: Eodem enim modo ibi intercedunt.*

1. Ad Timoth. 2. 1. Ioan. cap. 2. Ad Rom. cap. 10. Ad Rom. cap. 15. 1. Thessal. cap 3. 1. Tim. cap. 2.

CLII. *LVTHERANI, vt nobis hanc Catholicorum vel Apostoli potiùs distinctionem è manibus extorqueant, frigidum, aiunt, esse Sophistarum commentum; & mox ad mendacia confugientes dicunt, Pontificios, licet ita distinguant, aliter tamen sentire & facere Sanctos mediatores redemptionis. Vbi quid aliud faciunt, quàm quòd apertè declarant, veram esse Catholicorum doctrinam, quando ipsi etiam eam opprobant; animum tantùm cauillantur, quem intueri nequeunt. Verùm vt etiam mentem nostram non ignorent, sciant, nos eum Catholici nomine minimè dignari, sed hæretici & idolatræ,*

Disput. De Inuoc. Sanct. conclus. 11. Conclus. 57.

lolatræ, qui aliter, quàm diximus, sentit, vel Sanctos facit mediatores redemptionis; id verò Romana Ecclesia neque docuit neque sensit vnquam. Atq; his, quæ de duplici mediatore diximus, soluitur etiam illud, quod nonnulli obijciunt, oportere, iuxta Pauli sententiam, in eos credere, qui inuocantur. Loquitur enim ibi Apostolus de eo, qui inuocatur, vt autor nostræ salutis, quo modo Sancti minimè à nobis inuocantur; quare neque credimus in eos. Ad Rom. cap. 10.

CLIII. AT inquiunt, DEVS est clementissimus, nouit quibus rebus indigeamus, & propensiùs curat nostram salutem, quàm possimus ipsi vel dicere vel cogitare; aduocatum etiam habemus apud Patrem, CHRISTVM IESVM iustum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Quid igitur opus est patrocinio Sanctorum? Si ita argumentari licet, cur non mox etiam concludunt, quid opus est mutuis orationibus hîc in terris? imò, quid opus est omnino orationibus? Cur non securè dormimus in vtramq; aurem? Clemens enim est DEVS; nouit quibus indigemus; curat nostram salutem, & aduocatum habemus apud Patrem. Agè verò doceamus istos, quid opus sit patrocinio Sanctorum. 1. Ioan. cap. 2.

CLIV. CVM Magnates aut Principes viros adimus, vsu venire solet, vt, quò quisque plures habet intercessores de domo ac familia Principis, eò etiam faciliùs, quod petit, obtineat. Ita ergo cùm ad DEVM; qui sæpe in Euangelio rex dicitur, accedimus, Sanctos, familiares DEI amicos, & domesticos adhibemus, qui vnà nobiscum, quod speramus, efflagitent. Non enim illi à nobis inuocantur, vt daturi quod petimus, sed vt petituri idipsum à DEO.

CLV. QVOD si petas, quod ab Eckio olim petijt Oecolampadius, meliúsne sit tota fiducia DEVM, vel CHRISTVM solum inuocare, semotis & obliuioni traditis omnibus creaturis, an illis adhibitis ad DEVM accedere? Respondemus, manente eadem fiducia, melius esse, pluribus adhibitis intercessoribus, ipsum exorare. Cùm enim sint DEO chari, eorum accessus non potest esse DEO ingratus. Neque verò quicquam caussæ est, cur illis adhibitis, nostra in DEVM fidu- In Disput. Helue. conclu. 3.

Ad Rom. cap. 9. *cia minuatur; quin crescit potiùs, cùm diuitias gloriæ* DEI *in vasis misericordiæ, vt Paulus loquitur, contemplamur.*

CLVI. *D*EMVM *irrident hæretici cantum Ecclesiæ, quo illa* DEIPARAM *salutans, vocat eam spem, vitam & dulcedinem nostram; sed rideant etiam Paulum, si libet, qui Thessalonicenses spem suam & gaudium appellat. Rideant Augustinum, qui sacratissimam Virginem spem peccatorum nominare non erubescit. Possunt autem hæc & similia duplici nomine* DEIPARÆ *adscribi: Primùm quidem, quia peperit nobis spem, vitam & dulcedinem nostram. Secundò verò, non quòd ab illa, vt ab auctore principali, expectemus spem, vitam, &c. Sed quòd bene de ea speremus, impetraturam quod petimus: Siquidem principem locum tenet inter Sanctos intercessores nostros apud* DEVM. *Estque modus ille loquendi vsitatissimus, vt, per quem beneficium aliquod obtinere nos posse arbitramur, eum spem nostram dicamus.*

1. Thes. cap. 2. Serm. 18. de Sanctis.

CLVII. *O*RANT *autem Sancti pro nobis apud* DEVM, *non solùm affectu, quasi voce quadam mentis, aliquid petentes, sed etiam merita sua pro nobis offerendo; quæ licet abundè iam pridem fuerint præmiata; decet tamen diuinam liberalitatem, eorum intuitu nõnulla nobis aliquando elargiri; vt Scripturæ exempla docent, & in humanis etiam fieri non raro videmus.*

Exod. cap. 32. Daniel. cap. 3.

CAPVT

CAPUT OCTAVUM, DE STATU ANIMARUM IN PURGATORIO.

CONCLUSIO CLVIII.

ANIMÆ, quæ Purgatorij ignibus detinentur, duplici pœna torquentur; damni & sensus. Ac pœna quidem damni in eo posita est, quòd, cùm ardentissimo atq; incredibiliter vehementiori desiderio appetant videre salutis suæ fontem DEUM, quàm nos hîc desideremus; (mens enim corporea mole liberata, expeditiùs fertur in suum finem) videant autem se sua culpa à tam iucundo spectaculo retardari, acerrimè propterea affliguntur. Atque hanc DEI clarè visi priuationē nos appellamus pœnam damni, quæ licet in omnibus videatur esse æqualis, putamus tamen, aliunde eos hac pœna magis affligi, qui plura ac grauiora scelera hîc patrârunt.

CLIX. POENA verò sensus ea est, quam ab igne percipiunt,
cum nullis etiam grauissimis præsentis vitæ pœnis comparanda; tametsi ad tempus tantùm duret. Si etiam, inquit Auctor libelli de
vera & falsa Pœnitentia, conuersus euadat, vita viuat & non
moriatur; non tamen promittimus quod euadat omnem pœnam; nam
priùs purgandus est igne Purgationis, &c. Scribit his similia D.
Augustinus frequenter.

Cap. 16. & 18. Et refert. de pœni. distinct. 7. cap. Nullus. In Serm. 41. de Sanct. & in expo. Psalm. 37.

CLX. NEQUE verò dubiæ sunt hæ animæ de sua salute, vt Lutherus putauit, cùm vario illo doctrinæ vento circumferri cœpit. Quòd si Ecclesiam obijcias, perinde pro defunctis orantē, atq; si incerti essent de sua salute. Orat enim in hunc modum: A porta inferi erue animas eorum, & de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus; quo satis indicare videtur, non adhuc esse de salute securas. Sunt qui dicant Ecclesiam ibi

Articu. 5. & 38. à Leone damnatus.

per tartarum intelligere ipsum Purgat. Magis tamen nobis placet eorum responsio, qui aiunt, quemadmodum Scripturam; ita etiã Ecclesiam aliquando à DEO *petere solere, quæ certò sint euentura. Itaq, rogat, ne absorbeantur à tartaro, quos certò scit non esse absorbendos. Huiusmodi est etiam illud: Da mercedem sustinentibus te. Certò namque constabat viro* DEI, *nunquam* DEVM *negaturum mercedem sustinentibus se; nihilominus tamen idipsum orabat.*

Eccles. cap. 36.

CLXI. TAMETSI, *vt nulli dubium esse debet, animæ in Purgatorio exerceant actus aliquos virtutum; nihil tamen illis merentur; sed in quocunque loco ceciderit lignum, ibi erit. Atque ita intelligunt sancti Patres locum illum Ioannis: Venit nox, quando nemo poterit operari: Tempus sementis, inquit D. Hieronymus est præsens tempus, & vita, quam currimus: Quòd si culpæ veniales in Purgatorio remittuntur, illud non tam fit per actus virtutis, quos ibi exercent, quàm per dispositionem & pœnitentiam, quas dum hîc viuerent habuerunt.*

Eccles. cap. 11. Ioan. cap. 9. In Epistol. ad Gal. cap. 6. August in Tract. 44. supra Ioan. Chrysost. homil. 45. In Ioannem. Orig. in Psal. 36.

CLXII. QVÆRI *hîc solet, quînam fiat, vt, si quis nostrûm hîc ægritudines, morbos & inflictas à* DEO *pœnas patienter ferat, non solùm satisfacere valeat, sed etiam meritum sibi accumulet apud* DEVM, *animæ verò illæ, quæ longè atrociores pœnas, longè patientiùs sustinent; nihil mereantur? Qua in re nobis non placet illa ratio, quæ alicui fortasse videri posset, quòd scilicet animæ non sponte eligant illas pœnas; vt inde patêre potest, quòd desiderarent, quàm citissimè illis expediri, & si absque illis possent consequi suum finem, id vel maximè vellent. Non placet, inquam, hæc ratio; quoniam neque nos flagella* DEI *eligimus, vt mortem parentum, iacturam bonorum, &c. Nihilominus patientia meritum adfert. Magis probatur solutio illa Augustini dicentis: Hîc omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam quispiam grauari vel releuari. Nemo autem speret, quod hic neglexit, cùm obierit, apud* DEVM *promereri. Locus igitur gratiam & gloriam promerendi à* DEO *cõstitutus, præsens Seculum est, dum anima corpori est coniuncta.*

Concil. Trident. Sess. 14. cap. 9.

In Euch. cap. 110.

Indicauit

Indicauit hoc etiam Iob, cùm diceret: Militia est vita hominis super terram. Non inquit, subter aut infra terram. Cap. 7.

CLXIII. QVARE errauit Lutherus, asserens, animas in Purgatorio sine intermissione peccare, quàm diu requiem quærunt, & pœnas horrent; quoniam quærant, quæ sua sunt, contra DEI voluntatem. Si semper peccant, quis erit aliquando finis Purgationis? Semper enim purgatis purgãda succedent; & sic quasi Sisyphi saxum perpetuò illis reuoluendum erit, si vera sunt, quæ fabulator iste somniat. Quis verò docuit Lutherum, peccatum esse, si quis pœnam horreat? Si requiem quærat? Cupiebat Paulus dissolui, vt esset cum CHRISTO; peccauit igitur. Ad Philip. ca. 1. Peccauit & ipse CHRISTVS, qui morti propinquus, cœpit pauere & tædere. Marc. 14. Deniq; si requiem quærere, peccare est, vel peccant ægri omnes, quotquot salubres corpori medicinas quærunt, vel Lutherus insanit. Sed longè optimè refellit hunc errorem D. August. cùm Cyprianum laudans, docet, non solùm non vtilem fidelibus esse mortem, sed etiam vtilem reperiri; quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitate constituit: De prędest. ca. 14. Peccandi enim pericula, inquit Cyprianus, nec deesse in ista vita; nec superesse post ipsam: citatq; illud Scripturæ: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. In lib. de Mortalitate. Sap. cap. 4.

CLXIV. SED ENIM cùm iustitia postulet, vt, qui scelerum socij fuerant, sint & pœnarum, cur anima patiente in Purgatorio, corpus non patitur? Rectissimè hoc à DEO factum est. Nam sicut præmium; ita pœna finalis communis est animæ & corpori: Purgatio verò, quæ tantùm via quædam est ad præmium, soli animæ conuenit, vt quæ præcipua peccati caussa fuit, peccato consentiendo: Nisi fortè corpus in puluerem & cineres redactum, suam etiam quasi purgationem habere, & hac veluti pœna affici velis. Certè vt in Purgatorio vnà cum anima purgaretur, commodè fieri non poterat; Nam debuisset statim post mortem resurgere, & purgatione absoluta, mox iterum mori.

CAPVT NONVM,
DE STATV ANIMARVM, QVÆ SVNT IN INFERNO.

CONCLVSIO LXV.

VT antea de Purgatorio; ita nunc de inferno dicimus, duplici pœna, damni & sensus, vtraq; in perpetuum duratura, ibi animas extorqueri. Quas pœnas si inter se comparaueris (si tamen comparari possunt) pœnam damni grauiorem reperies, quàm sensus. Nouimus, inquit Chrys. plærosq; solùm Gehennam abhorrere; ego autem casum illum à gloria, Gehenna multò maiorem esse aio. Et infrà: Si Gehennarum decem millia ponas, adhuc nihil tale est, atq; excidere à beata illa vita.

Homil. 23. in Matth.

Luc. cap. 1.

CLXVI. VTRAQVE colligitur ex dicto illo CHRISTI: Discedite à me omnes operarij iniquitatis; ibi erit fletus & stridor dentium. Nam cùm, discedite à me, inquit, pœnam damni; cùm fletum & stridorem dentium nominat, pœnam sensus insinuat; quarum hæc est animæ separatæ à corpore continuus quidam mœror, dolor & afflictio; illa optatæ DEI visionis, cuius capax esse poterat, peccatis debita, priuatio.

CLXVII. De igne tartareo, qui animam excruciat, dubitârunt quidem nonnulli, essétne corporeus an non; eam tamen dubitationem ex alio difficiliori capite ortam putamus, quomodo videlicet ignis corporeus reali actione spiritum affligat, omnis quantitatis & materiæ expertem. Siquidem enim vera & realis est actio, corpoream aliquam qualitatem debet spiritus ab igno recipere; quam difficultatem tollere, non est facile. Nam eleuetur quantumuis ille ignis (quem corporeum esse ponimus) & extollatur à DEO, sitq; instrumentum diuinæ iustitiæ; semper tamen manebit corporeus. Et si natura sua non habet

bet actionem naturalem, quam exerceat in Spiritum, neq; habebit eleuatus; siquidem eleuatio naturam non mutat.

CLVVIII. IGITVR vt satisfaciat difficultati, putamus inprimis, Gehennæ ignem corporeum esse; quod etiam conformius est sacris Scripturis: DOMINVS enim appellat hunc ignem inextinguibilem. Et D. Ioan. Si quis, inquit, adorauerit bestiam, cruciabitur igne & sulphure. Suntq; sexcenta alia huiusmodi loca in Scripturis, quæ tum demum metaphoricè accipienda essent, si in propria significatione, aliquid fidei vel rationi repugnans sonarent: Vt sonat illud: Ego sum vitis, vos palmites. Iam verò nullum absurdum sequi videtur, si intelligantur de igne corporeo; præsertim cùm in eum sensum Gregorius & Augustinus inclinent.

Marc. cap. 9. Apoc. cap. 14. Apoc cap. 19. Psalm. 10. Genes. cap. 19. Matth. cap. 25. Luc. cap. 16. Ioan. cap. 5. Lib. 4. Dialog. cap. 16. Lib. 21. de Ciuita. Dei, cap. 10.

CLXIX. DE modo, quo ignis ille agat in spiritum, maior est difficultas. Dicimus itaq; quemadmodum cùm anima est coniuncta cum corpore, si accidat corpus diuidi vel comburi, verè ipsa anima tristitiam sentit & afflictionem, ob coniunctionem cum corpore; ita etiam anima separata quidem à corpore, diuina autem voluntate coniuncta cum igne atq; illi alligata, ita realiter affligitur, ac si cum corpore pateretur. Quamuis existimamus, modum huius afflictionis, naturæ viribus, omni ex parte intelligi non posse, vt scilicet sciamus, quid ex actione illa reali anima recipiat, & quomodo illud, quicquid est, ex corpore redundet in spiritum.

CLXX. NVLLVS item est, qui infelicium animarum miserias vel minima ex parte possit exprimere. Etenim quemadmodum beati cæliciues iucunda illa & sempiterna DEI præsentia mirabiliter afficiuntur; ita hæ horribiliter affliguntur eiusdem absentia. Atque hæc pœna præcipuè est in intellectu.

CLXXI. IN voluntate verò est alia, nihil ista inferior, perpetuum scilicet odium aduersùs DEVM, quem cùm sibi ob oculos proponant, non vt iustum, sed vt autorem suorum cruciatuum: & rursus neq; hos vitare, neq; illum possint tollere è medio, vt maximè vellent; dici non potest, quantopere excrucientur.

CLXXII. *In memoria iterum alius est cruciatus, cùm anteactæ suæ vitæ gesta cum animo pertractant; quæ si bona fuerint, dolent, nihil ea sibi profuisse ad salutem consequendam; si mala, non minùs cruciantur, cùm videant, se eorum caussa tot pati aduersa. Iam si dignitatum suarum ac facultatum recordantur, discruciantur animis, præ-*
Sapien. cap. 5. *sentem calamitatem cum præterita felicitate comparantes: His accedit infructuosa eorum pœnitentia.*

CLXXIII. *Rvrsvs quia voluntas damnatorum, vt diximus, perpetuo odio flagrat aduersùs Devm suum vltimum finem, à quo proinde continenter auertitur; idcirco nullus actus ab ea imperatus, potest dici bonus. Et quamuis aliquando possit ferri in aliquod bonum, saltem apparens; vitiabitur tamen actus ob defectum cir-*
Luc. cap. 16. *cumstantiæ legitimi finis. Itaq; cùm diues ille apud Lucam exoptat fratribus salutem, non id facit, vt debebat, amore fratrum, sed ne ipse magis excrucietur. Quòd verò aliqui dicunt, inuidia aduersùs Lazarum commotum desiderâsse, vt eum aliquis suorum gloria anteiret; alienum videtur à verbis Euangelij.*

Apoc. cap. 9. Osee. cap. 10. CLXXIIII. *Sed dubiū est, malintne non esse, quàm viuere perpetuò in tormentis? Putârim desiderare potiùs non esse. Desiderabunt mori, ait de illis Scriptura, & mors fugiet ab eis. Ac iterum: Dicent montibus, operite nos. Rectène hoc appetant an secus, maior est difficultas. Ego certè, quod ad me attinet, malim non esse, quàm in inferno esse. Si hoc ipsum desiderant, peruersè tamen desiderant, non tam vt à pœnis liberentur, quàm ne Devs in illis exerceat iustitiam.*

CLXXV. *Vervmenimvero, cùm apud omnes receptum sit, quò plures sunt damnatorum animæ in inferno, eò maiorem pœnam accidentalem, vt vocant, quamlibet earum persentiscere; caussam tamen huius inuenire, non est omnibus obuium. Nam quòd beatis ex*
Super Isaiam cap. 14. *maiorum numero maius accedat gaudium, idcirco accidit, quòd est inter illos syncera delectio, quæ facit, vt bonum alterius quisq; æstimet vt suum. At damnati non se inuicem diligunt; quare neq; affligentur mutuis miserijs. Deinde si verum est, quod glossa quædam dixit, &*

iam abijt in prouerbium, solatium esse miseris socios habere malorum; lætari potiùs quàm tristari deberent accessione plurium damnatorum.

CLXXVI. SED ponamus rem ita habere, caussam inuestigemus. Putamus igitur ex natura rei id prouenire: A natura enim inditum est, vt, quemadmodum ex multarum pulcherrimarum rerum aspectu, delectatio quædam accedit eas considerandi; & ex auditis gratæ & iucundæ historiæ, iucunditas etiam ingeneratur in animo; sic tristis alicuius spectaculi intuitus tristitiam pariat intuenti. Neq; inde sequitur, quòd damnatarum aliæ alijs compatiantur; non enim aliarum caussa dolent, sed suî: Aliorum namq; miseriæ natura sua afferunt molestiam intuentibus. Quemadmodum si quis nunc omne malum imprecetur inimico; vbi tamen eundem viderit redactum ad extremam miseriam, commouebitur vel inuitus, etiam voluntate repugnante. Boet. in 2. de cons. pros. 2.

CLXXVII. ITA esto desiderent infelices alijs eandem infelicitatem, & omnes odio prosequantur; certè inclinatio naturalis, qua natura aliorum malis compatimur, quantumuis voluntas sit peruersa, auferri non poterit; atq; hinc nimirum fiet, vt eò magis affligantur, quò plures detruduntur ad inferos. Prouerbium verò illud, quod dicebamus, sæpe fallit: Nam quis dubitet, maiori molestia eum affectum iri, qui miser ipse cum alijs æquè miseris eiulantibus & afflictis versetur in eadem domo; quàm qui solus sibi sit molestus? Quod si aliquando secus euenit, in hac vita, idcirco videlicet fit, quia hîc, cùm non sit extrema miseria, nemo est tam infelix, cui non aliquid lætitiæ possit afferri.

CLXXVIII. CÆTERVM credendum est, DEVM, qui pater est misericordiarum, in taxandis pœnis rationem habuisse istius accessorij augmenti; quod etiam axioma illud confirmat; DEVM præmiare quidem vltra, sed punire citra condignum.

CAPVT DECIMVM, DE STATV PARVVLORVM IN LIMBO.

CONCLVSIO LXXIX.

In cap. 2. INFANTIVM *animabus, quæ cum originali solo ex hac vita decedunt, locus est apud inferos limbus paruulorum dictus, vt suprà meminimus; in quo vt exilio vitam traducunt vtcunq; afflictam. Et licet eorum sententia magis nobis probetur, qui huiusmodi animas immunes esse affirmant ab omni pœna sensus; remanet tamen illis longè maior pœna semper duratura, priuatio scilicet optati aspectus* DEI, *omnis lætitiæ ac voluptatis fontis.*

CLXXX. SVNT *qui non temerè, vt nobis videtur, arbitrantur, eiusmodi infantes post reassumpta corpuscula inhabitaturos mundū hunc inferiorem, purgatum iam & salubriorem effectum ab vltimo illo igne conflagrationis. Decet enim, vt, qui quasi medij sunt inter reprobos ac beatos, medium quoq; occupent locum. Et profectò si vniuersali illi iudicio interfuerint conspexerintq; pulcherrimam hanc mundi constitutionem, non absq; nouo dolore detrudentur ad inferos.*

CLXXXI. RVRSVS *probabile valde putamus, eos rerum naturalium scientijs minimè cárituros; sed per species à* DEO *infusas, Solem, Lunam, stellas, elementa contemplaturos, non absq; iucunditate aliqua. Nec absurdum est, si dixerimus, visitatum iri nonnunquam ab Angelis, ac alijs beatis.*

CLXXXII. VERVM *si, vt dicebamus, finali iudicio intererunt, quî fieri poterit, vt non incredibili mæstitia afficiantur, cernentes, se tanto tamq; infinito bono destitui? Respondent nonnulli, hoc eis consolationi futurum, quòd cognoscent, nō sua, sed aliorum culpa amisisse se tantum bonum. Verùm non est hæc consolatio, vt mihi videtur; sed*

potiùs

potiùs geminata caussa doloris. Alij idcirco mitiùs laturos dicunt, quòd intelligent, se non fuisse idoneos, qui beatitudine potirentur. At hoc ne somniare quidem poterunt: Videbunt enim alios complures, eiusdem secum naturæ, eadem fuisse potitos.

CLXXXIII. QVARE *dicimus, nulla eos affectum iri molestia; tum quia videbunt longè maximam miserorum hominum turbam igne inuolui, & inuitos ac multum eiulantes detrudi in barathrum; sicq́ gaudebunt potiùs, tam benignè secum fuisse actum, vt non essent ex illorum numero: Tum quia* DEVS OPT. MAX. *quæ sua est clementia, tollet omnem ægritudinem, quam beatitudinis amissæ gratia alioqui fortè poterant concipere. Restabat iam postrema huius Disputationis pars, de Conditione animarum, cùm corpora resumpserint verùm quia res nimiùm excresceret & Disputationis limites excederet, consultò prætermittimus.*

OMNIA IN DEI GLORIAM CEDANT.

Disputatio hæc Orthodoxa est, & cumprimis digna, quæ typis excusa publicè proponatur. Ita testor ego Albertus Hungerus, S S. Theologiæ Doctor & Professor ordinarius, atq; Theologicæ Facultatis id temporis Prodecanus.

HEROICVM,

AD DOCTISSIMVM DOMINVM ANDREAM RÖCKLERVM LIBERALIVM ARTIVM ET PHILOSOPHIÆ MAGISTRVM, NVNC SACRARVM LEGVM STVDIOSVM, & pro tempore Illustrium & Generosorum IOACHIMI & ALBERTI Fuggerorum, Baronum in Kirchberg & VVeissenhorn Præceptorem, &c. Carmen.

AVTORE
M. EMERICO KRATZERO COMBVRGENSI FRANCO.

OTIA quas facies inopinaq; vulnera paßim,
Deformemq; ferant multo cum sanguine stragẽ,
Nunc grauiore casu turres æquataq; terræ
Mœnia, res hominum laceræ crudeliter oræ
Ora manusq; ambas, instar morientis adumbrant.
Parturiunt montes nemorumq; cacumina fœdis
Hoc sponso viuente malis, fæcunda veneno
Lerna colubrifero stridente repullulat hydra.
Otia sunt vitijs mater, virtutibus hostis,
Et ne parua quidem signo victrice fatigant:

Non

Non tantùm quod habes perdunt, sed semper anhelant
Impediant ut quod nec habes, neque iam potiaris.
Quas contrà segetes, STVDIVM, *quo culmine turres*
Erigat & circum sublimia mœnia ducat,
Nulli vel si sint centum linguæ oraq́ centum
Dicere fas, tantùm licet admirarier artem.
Artibus ingenuis via fit, Respublica fructu
Crescit in immensum grauido, virtutis honores
Accumulantur, apum sonitu velut agmen amico.
Si quæ rebus inest iam circumfusa, repentè
Scindit se nubes & clara in luce refulget.
Si quid rebus inest occulti seminis, ipso
Eruitur studio, subq́ æthera fertur aperta.
Aut si quod vitium sumpserunt viscera rerum,
Corrigit: in melius quid non labor improbus vrget!
Hasce vices animo simul & contraria versans,
Obtutuq́ tibi ANDREA *hæc miranda videntur,*
Quàm sit terra ferax STVDII, *quàm fertile culmen,*
Non tantùm id quod habes seruet, sed semper anhelet
Efficiat, tu quod nec habes statim potiaris;
Quàm contrà vacuis sint otia segnia labris:
Desidiam Baccho, qui garrulus otia curat,
Linquis, & ignaram ditione tenere lacunam.
Tu tua per vigilem ducis vexilla palæstram,

Exercens vires atq; armis fortibus implens
Omnia, sydeream multa vi subrigis arcem;
Quam super indocti rogitârunt plurima, docti
Mirati ingenium, veteresq; ex ordine muros
Pro nostræ fidei positos iterumq; repostos
Cultura, & veri pia fundamenta locantem:
Hanc indefeßis commendas viribus intra
Atq; extra, mox dum tua propugnacula signis
Hostili tentante manu quassantur, aperto
Opponis te Marte, velox vigilantibus exis
Vulnera luminibus, præruptaq; tela remittis:
Nec priùs absistis, quàm totam fusus arenam
Impleat & validam vim vultu comprobet hostis.
Dum RÖCKLERE tuos sic exeris artubus artus,
Materiamq; nouo munimine & ordine firmas,
Hanc agè virtutum speciem laudisq; decorem
Accipis, vt rerum dicare peritus & artis,
Otia nec damnis vnquam nocitura putentur.
Pulcher honos, studiumq; tuum, dignumq; laboris
Munus ab integro seruetur & orbe sub æuum.
Perge, vt sponte facis, non spe luderis inani:
Nunc hos nunc illos aditus omnemq; reconde
Arte diem, fusca stes clarum lumen in aura.
Quid quòd apud superos & apud nos cuncta labori
Nata,

Nata, boum sunt terga iugis, & aratra iuuencis
Addixit natura, canes indaginis hamus
Occupat, hîc ceruos qua prehensent arte fugaces.
Concaua quippe datur simul & conuexa tueri
Cœlorum commota suis agè cursibus: atque
Ni moueantur aquæ vitioso flamine spirant.
Perge, vt sponte facis, non inferiora sequeris
Quàm quoque quos similis traduxit ad ardua virtus.
Restant magna tibi, iam Doctoralia restant,
Laurus, tæda, faces, & adhuc maioribus instas.
Expectat magis atque magis tanti æmula tempus
Pectora in auxilium, antiquis effulta columnis.
Vota æquare iuuet, iuuet inueterata nouare;
Et noua, quæ veteres aduerso fulmine mores
Concutiunt, nigrum transmittere mortis in orbem.
Fac RÖCKLERE iterum cusis hæc atque recusis
Cernamus prostare typis prælóque nouatis.

Konserwacja oprawy
Oddział Konserwacji BJ
1999 r.

Konserwacja oprawy
Oddział Konserwacji BJ
1999 r.

ABBAS



GRADICENSIS